BENEDICTI BAHRII

PRO

PACE EXSULANTE ORATIO.

Cui una cum aliis accessit dissertatio

DE

VIRTUTE PARANDA.








LUGDUNI BATAVORUM,


Ex Officina IOANNIS MAIRE,

cIↄ Iↄ c XLVI.



Reverendissimo Celsissimoque PRINCIPI ac DOMINO DOMINO JOANNI,

Episcopo Lubecensi, Hæredi Norvvegiæ, Duci Sleswici, Holsatiæ, &c.



Ostquam relicta patria, Reverendissime Princeps, Domine Clementissime, in hanc urbem veni, illud cæpi cogitare, qua ratione efficerem, ne illustri tua gratia & liberalitate omnino viderer indignus. Quam quidem ad rem à cæteris omnibus destitutus, nihil mihi reliquum esse intelligo præter cultus & devoti animi significationem. Equidem si propter meliorum literarum amorem, quem graviora studia nunquam potuerunt excludere, omnes illos observantia quadam revereri me debere sentiam, quotquot illorum

vel ſtudiis dediti ſunt ipſi, vel cultoribus impenſe favent; quanto magis in eo admirari iſta oportet, quem patriæ meæ contigit habere Patrem. Etenim in utroque antecellere alios, ornamentum eſſe judicas maxime illuſtre, & neceſſarium Sanctiſſimæ dignitatis præſidium. Profecto quanta ſit tua benignitas & propenſio ad Sapientiæ ſtudia adjuvanda, illi aliquando loquentur, quorum induſtriam & ſagaces curas excitare atque alere voluiſti. Sed parum videbatur, munificentiæ gloriam conſequi, niſi ipſemet literarum ſtudia magno ardore diſcendi arriperes: idque in iſta ætate, tanta perverſitate opinionum, & difficillimis temporibus. Quod quidem ſtudium eò eſt laudabilius, quò major illius moleſtia ſuſcipienda eſt, poſtquam à gravioribus rebus cognoſcendis propter ætatem ægrius plerumque abſtineri cæperimus. Equidem nihil æque mallem, quam ut tanti Principis exemplum ſecuti rectius conſilia caperent, aut prudentius ſuggererent, qui ſuis vel aliorum commodis optime velint conſulere.

Sed

Sed omnibus fere temporibus cum illis conflictandum est, qui rerum longe maximum præ se ferentes studium, linguas contemnunt; quod in illis nihil aut parum insit utilitatis. Sicuti autem vehementer dolet bonus quisque & harum rerum intelligens, complures hoc errore duci, & cum sibi tum aliis etiam sua consuetudine nocere; ita maximam inde capit voluptatem, quod videat quorumdam, & in his Principum virorum animos perversis illis opinionibus non corrumpi. Illud vero quis satis prædicabit, Reverendissime Præsul, quod istos labores sustineas, non linguarum illectus dulcedine, sed Ecclesiasticæ potissimum antiquitatis cognoscendæ cupiditate incensus, tanta quidem, ut nihil, quod eo spectet, prætermittendum putes. Scilicet sanctissimæ dignitati inprimis convenire censes, postquam inter bellicos tumultus subditis de incolumitate, qnantum vicina mala patiuntur, prospectum; reliquas curas in eam rem convertere, cujus quantum damni afferat ignoratio, tantas utilitates promittat no-

titia. Neque enim, ut de Religione & pietate Christianorum recte sentiamus, secundum Sacra volumina aliud quicquam plus adjumenti nobis afferre videtur, quam eorum scripta, qui propius absunt à temporibus Apostolorum, & salutari prudentia locupletare possunt veritatis & pietatis amantes. Quod si studia illa ad se quoque pertinere vellent, qui publici emolumenti non minus sunt cupidi; quam dignitate & auctoritate valent plurimum; major aliquanto spes affulgeret, futurum aliquando, ut sua universæ Ecclesiæ rediret tranquillitas, & singulis optata securitas. Sed alienum videtur laudum tuarum decus illustrare velle, quod nonnisi à clarissimo quoque fieri fas est. Mihi illud satis esse debet, si qua ratione efficiam, ut memoriam tot beneficiorum, quæ laudabilis tua benignitas in me contulit, religiose conservare credar. Etenim cum discendi amore adductus ad illos etiam proficisci decreveram, qui literarum gloria ubique florent, ad tuam curam pertinere putabas, providere, ne qua indigentia destitueret cona-

tus meos, aut ſumtuum magnitudo paternis facultatibus majus, quam par eſſet, detrimentum afferret. Poſteris temporibus tantum abfuit, ut liberalitatis tuæ fontes exareſcerent, ut in hunc uſque diem, quo animo ſis erga ſtudia mea, intelligere mihi contingat; & per omnem vitam, quæ quotannis ad me redeant, exſpectare jubeas. Certe eò magis illud prædicandum eſt, quò minus propter loci diſtantiam & diverſas occupationes officii quicquam Principi optime merito præſtare licet. Iſta omnia cum diligentius conſiderarem; quacunque tandem ratione illud fieri poſſet, enitendum putavi, ut mearum rerum aliquid Celſiſſimo nomini tuo nuncuparetur. Etſi vero tanti non faciebam ingenii mei labores, ut dignos exiſtimarem, quibus Illuſtres oculi adhiberentur; effecerunt tamen amicorum judicia, ut quæ de Virtute paranda ante biennium, & quod excurrit, edideram, aliquot Orationibus locupletata denuo prodirent in lucem. Quorum poſtulatis hoc minus repugnare libuit, quod ſtudium &

obſer-

obſervantiam meam erga celſiſſimam tuam dignitatem declarandi occaſionem mihi viderer conſecutus. Quamvis autem parum huic rei convenire exiſtimentur, quæ ad Scholas pertinent; tamen, niſi fallor, & in illis quædam reperiuntur, à quibus non plane abhorreant, qui omnem bene vivendi diſciplinam ſibi curæ eſſe debere judicaverint. Ne dicam, Illuſtriſſimos quoſque illud cum Sole commune habere, ut quemadmodum humilioribus locis radios ſuos hic minime ſubtrahit, ita & illi ad exigua ſeſe interdum demittere haud graventur. Quæ vero pro Pace ſunt dicta, ne à quoquam ſit aliena, minus verentur: non tam freta dicentis auctoritate, quam Exſulis illius, ad quem revocandum pertinent, deſiderio; quod in omnium animis jam diu excitat communis patriæ calamitas, &, niſi moderata ſuccurrant conſilia, imminentis exitii metus. Tibi igitur Clementiſſime Princeps non improbari hoc ſtudium confido: qui, quod maxime debui, Illuſtriſſimum nomen tuum abſens colere atque venerari alia ratione non poteram;

præcipue his temporibus, quibus ad majora nihil otii mihi eſt reliquum. Deum noſtrum ſupplex oro, ut pacem & tranquillitatem univerſæ Germaniæ reddat propitius; itaque gubernet omnium animos, ut tot hominum vota ne velint impedire; te vero patriæ meæ quam diutiſſime ſervet incolumem & felicem: qui ut illuſtrem gratiam, quam hactenus erga me licet immeritum expertus fui egregiam, clemens conſerves, humili prece contendo. Straleſundi Idib. Martii cIↄ Iↄ c xlv.

CELSISSIMAE ET SANCTISSIMAE
DIGNITATIS TUAE

Humilis ac devotus Cultor

BENEDICTUS BAHRIUS.

Ad Clarissimum Virum

BENEDICTUM BAHRIUM,

Cum aliquot Orationes, & de Virtute Paranda Dissertationem publice ederet.



Loria præcipua est recte sentire, deinde
Quæ sentias, posse eleganter eloqui.
Sed nos quisquilias plerumq; obtrudimus Orbi,
Nugas canoras, & sonos evanidos.
Florida succinctæ vendunt uti serta puellæ,
Odora paullum, sed voluptatem brevem.
Aut nos cordatos sensus corrumpimus ultro
Orationis fæculentæ sordibus.
Quam diversa tua est facundia, candide Bahri,
Densata rebus, dictione splendida!
Non hic ingenii turgentia commata vani,
Non mimicæ non futiles argutiæ;
Sed sermo comptusque & adæquans pondera rerum,
Qualis venusto celebris alveo Tagus
Non liquidas duntaxat aquas, sed divitis auri
Ramenta ducit, hisque ditat accolas.

VINCENTIUS FABRICIUS I. U. L.
& Reip. Dantiscanæ Syndicus.

BENEDICTI BAHRII


PRO

PACE EXSULANTE

ORATIO

Publice habita in Schola Stralesundiensi, cum Amplissimi Senatus nomine Prorectorem muneri suo præficeret. III. Id. Maji cIↃ IↃ c XLV.

Magnifici Dn. Consules, Amplissimi Curatores, Reverendi, Consultissimi, Experientissimi Doctores; Ecclesiarum Pastores vigilantissimi, Senatores prudentissimi, aliorumque ordinum quotquot convenistis, Doctissimi, Spectatissimique Viri, Patroni, Fautores & amici honoratissimi.



Ta comparatum esse cum rebus humanis, ut plerique maxima quæq; vitia suis objiciant seculis, eaque calamitosissima omnium existiment tempora, quibus ipsi vivant, neminem vestrum dubitare arbitror. Etenim fortuna & infelicitas hominum animis ita dominantur, ut quid rectum pravumque sit, perverso judicio inde cognoscatur, & optima consilia pro pessi-

mis habeantur, si successu careant; quæ vero feliciter evenerunt, ita suis tribuantur auctoribus, ac si præclara quæque cogitaverint: cum non minus ab honestate remota fuerit agendi libido, quam à prudentia decernendi ratio. Neque vero hanc esse hominum consuetudinem, mirum cuiquam videri debet. Sicuti enim pro amore, quo nos complectimur, ea præ cæteris sensu percipimus, quæ prospera nobis aut adversa eveniunt, seposita illarum rerum cura, quæ ad alios pertinent; ita etiam quæ nostris temporibus accidunt, tanquam æquales, universi quam maxime sentimus. Ideoque vel propter jucundiora impensius gaudemus, vel propter graviora altius gemitum ducimus. Quanquam nescio, qui fiat, ut adversa omnia tenacius conserventur hominum memoria, quam prospera. Ista omnia rectene fiant an secus, nostrum nunc non est disquirere; neque, si quid horum perperam fiat, ab altiori sapientia remedium petere. Illud certum, si quando unquam querendi fuit mortalibus necessitas vel occasio, nobis, qui in hæc tempora reservati sumus, minime illam deesse. Ne quid dicam de reliquis universi orbis partibus, quæ terra marique nobis innotuerunt: quis quæso in Europa vel angulus, quem non infestent bella atque discordiæ, eæque vel civiles vel externæ? quibus quę mala adhæreant, nemo nostrum ignorare potest, nisi qui cum bellis, & quidem civilibus, nati sunt atque educati. Hi enim sicuti pacis & otii nunquam perceperunt commoda, ita bellorum & tumultuum adversitates facilius ferunt: quippe qui hanc virtutem ex consuetudine

dine infeliciter agendi & ignorantia alienæ proſperitatis conſequuntur. Ego quidem, cui his temporibus ex hoc loco quædam erant dicenda, malebam, pacis otia laudari, ejuſque ſtudia commendari poſſe, quam querelas propter bellorum frequentiam effundi. Quia vero iſtud vel juſtiſſimi numinis ira, vel bella gerentium libido, aut, ſi qua eſt, neceſſitas nobis invideat; & de pace aut bello aliquid dicendum, propter circumfuſum armorum ſtrepitum vel otii deſideria; pro pace in exſilium acta cauſſam dicere conſtitui: non quod in judicio verſari me, aut clientis adverſariam hac oratione reprimi poſſe putarem; ſed quod illud negotium homine Chriſtiano & pacis amante non indignum fore arbitrarer. Quod ipſum ſi minus ita præſtare liceat, ut quamprimum revocetur, illud effeciſſe ſatis erit, ne ſua culpa tam diu Chriſtiano orbe exſulare credatur. Vos autem Viri omnium ordinum honoratiſſimi magnopere rogo, ut, quibus deſideriis exſulem noſtrum cupiatis reſtitui, eadem benevolentia pro illo verba facientem audiatis. Qui pro illis laborant, quos multorum ſuffragia propter virtutis invidiam & faſtidium extorres eſſe voluerunt, id ſibi negotii dari credunt, ut ſingulis ob oculos ponant, quæ & quanta Reip. commoda una cum illis ejecta; quæ ſperari queant, ſi quamprimum reſtituantur: tum quæ calamitates & damna illata ab his, quorum malevolentiæ & odio fuit cedendum: denique ut objecta crimina & cauſſæ, quæ aliquam præ ſe ferunt ſpeciem, diluantur. Pacem cum Bellona ita committere, ut illius, ſicubi floreat,

commoditates; hujus vero, quæ consequantur mala, exponantur, non ita fortassis est necessarium. Initio quidem bellandi cupiditas jucunditate aliqua afficere homines videtur, ubi pacis diuturnitas tædium aliquod attulerit, aut, sicuti fieri solet, novarum rerum studium & exspectationem: ast ubi nulla neque mora neque lassitudo illud effecerit, ut discordiæ & bella sopiantur; tum demum amissum agnoscunt bonum: tum apparet, quanto satius fuerit, vel iniquam pacem bello anteferre. Etenim rebus vel omnino non turbatis, vel celeriter tranquillatis, omnia florent, templa sanctorum & piorum hominum laudibus, quas Deo cantant, perstrepunt; sacri coetus frequentes celebrantur, & tranquille agitur æternarum rerum cura; sua securitate gaudent civitates & Resp. sine tumultu reguntur, optimarum artium & disciplinarum studia coluntur: ipsa denique natura lætatur quasi, se non impediri, quo minus frugum ubertate, copia & utilitate, hominibus declaret conditoris benignitatem. Contra ea, quid usquam malorum esse potest, quod bella non adferant? Diruuntur ædificia, quæ in sacros usus crexerat majorum pietas; antistitum & sacerdotum stipendia, quæ illorum liberalitas pro æternæ salutis cura dependi voluit, ad perniciem humani generis convertuntur; pro psalmis & laudibus omnia querelis & ejulatibus resonant: lugent civitates, tantum non squallore obsitæ; oppida olim florentissima ita jacent prostrata, ut inter ruinas & cadavera vix veterem agnoscere liceat formam: artes liberales, earumque studia, quibus animus excultus non minus

aliis auxilio, quam sibi præsidio esse potest, una cum matre sua exterminantur; succedit ferocia ingeniorum, quam inducit bellorum lascivia. Ipsa vero omnium nostrum parens natura mœrore afficitur, non tantum quod sæpissime sua beneficia contumeliose rejiciantur & improbe conculcentur, sed etiam quicquid metallorum, mineralium aliarumque rerum produxerat in usus humanos, ita corrumpatur abusu hominum & nocendi studio, ut dubium pene sit, utrum divina benignitas majora suppeditet malitiæ instrumenta, quam egestatis solatia. Sed ista omnia quosdam tantum afficiunt, & quidem illos, qui à bellicis negotiis remoti in urbana tranquillitate vitam degere consueverunt; minime vero quibus in bello maxima ætatis pars transacta: idque eo minus, quo proclivius illis esse videtur rem suam ex alterius calamitatibus augere, & ex aliena miseria æternam nominis consequi famam. Ego vero cur ita cum vulgo sentiendum sit, nihil habeo caussæ. Ne quid enim dicam de metu; qui, si præstantissimi Imperatores à devictis metuantur, malus est diuturnitatis custos; si ipsi metuant, acerrimus tranquillitatis hostis; agite consideremus eorum fortunam, quibus quidem ista ratione metus tantum damni dedisse haud videtur, quantum æqualium invidia, & ab iis derivatum in illos Principes odium, quorum commodis, securitati & gloriæ militaverant; vel nimia felicitatis & virtutis apud suos opinio. Alcibiades Atheniensium præstantissimus, parem felicitati suæ virtutem addiderat, Vir omnibus temporibus & locis maxime idoneus, ita quidem, ut nihil ei ne-

ei neque natura neque ingenium aut industria negarent. Sed non minus periculi ipsi quam hostibus afferebat nimia fortunæ indulgentia, & singularis bellandi prudentia: quæ cum tanta in eo essent, ut nihil non efficere posse crederetur; in maximam civium suorum invidiam incidit, postquam classe in Asiam profectus minus ex sententia rem gesserat. Nam propter ingenii & virtutis opinionem, quam tot victoriæ confirmaverant, negligentiæ illius tribuebant, aut malitiæ, si quid minus prospere gestum. Accessit metus & amor, cum non minus diligeretur propter adauctam Reip. gloriam, quam metueretur, ne istis rebus elatus dominatum concupisceret. Sed quam instabilis sit ista conjunctio, suo exemplo comprobavit: cum, de quibus bene erat meritus, vitæ illius tam diu sunt insidiati, donec violata amicitia telorum multitudine confossus occumberet. Datame, duce Regis Persarum, quis unquam inter Barbaros scientia rei militaris clarior, in consiliis capiendis sagacior, virtute præstantior, & felicitate superior? Sæpe nondum ad hostem credebatur pervenisse, & erant bella jam confecta; celeritate vincebat, quibus copiis erat inferior: quæ ab amicis in bello perfide non minus quam malitiose interdum erant cogitata, ad suam salutem, qua erat prudentia, convertebat. Sed præcipuum laboris & virtutis præmium fuit aulicorum invidia: qui cum illum unum pluris quam se omnes fieri viderent, id agendum existimabant, ut suo consensu & instinctu Artaxerxes adductus de præstantissimo duce opprimendo cogitaret. Plus valuit omnium regionum

giorum moribus male feriatorum falsum crimen, quam unius innocentia & virtus. Mittebatur exercitus centum & septuaginta millium præter levis armaturæ milites, restitit feliciter Datames ne vigesima quidem militum parte adjutus. Vnum igitur illud restabat, ut cujus virtutem & prudentiam tanta multitudo superare non poterat, simulata amicitia periret: quod ipsum ut successu non careret, ita Rex intentus fuit unius cædi, ut provincias suas vexari, expugnari castella, & magnas agi prædas pateretur, modo esset, qui simulata adversus Regem inimicitia illum perimeret, qui omnes consilio & virtute, neminem perfidia vicerat. Prætermitto nunc exempla Magni Pompeii, Iulii Cæsaris, aliorumque belli ducum; quibus fortuna ita videtur indulsisse, ut majores in pœnas servaret. Nostra memoria formidabiles fuerunt universæ Germaniæ insignes duo imperatores; sed quæ alia fuit sors utriusque, quam ut alter, quæ illius erat felicitas, Bellicosissimo Regi in prælio succumberet; alter, quod perduellis esset judicatus, ab iis tantum non mactaretur, quibus toties superbo imperio metum incusserat. Vsque adeo certum est, maximo malo esse belli Ducibus, quæ præ cæteris magnopere expetenda illis vulgo creduntur. Hos igitur si non raro humanarum rerum imbecillitas & fortunæ varietas affligit, quid quæso sentiendum de cæteris, qui bellicis negotiis occupantur? nisi quis putet, meliori illos loco esse, quod graviter cadere nequeant. Verum quid attinet pluribus hæc differere, cum nemo cui sensus inest, majora pacis quam belli commoda

esse unquam negaverit. Ad caussas deinde accedendum est, quapropter minime expedire videatur, pacem esse. Harum vero quanta seges! quam ingeniosa gens humana ad illas excogitandas, ne quid desit, quod perdendi necessitatem videatur afferre. Hinc, si qua vel armorum fiducia vel felicitatis spes, tot bella quot Principum litigia & odia: cum ista non nisi ultima tuendæ salutis remedia esse oporteret, tum demum adhibenda, postquam nulla ratione alia id effici potuerit, ut cives conservarentur & inimicorum prohiberentur maleficia & injuriæ. Sed unde tantũ boni, ut quæ sancta & casta esse debeant, multorum temeritate & libidine non pervulgentur? Quorundam tantus est furor, ut capitali odio dissidentes ipsi cadere haud vereantur, modo sua ruina, quos velint, prosternant: Quosdam pœnitet, tardius bellorum caussas vel in speciem tales reperisse: id quod populo Romano aliquoties accidisse, memoriæ prodiderunt, qui Reip. eorum fuere amicissimi. Sed nisi fallor, omnes belli caussas conquirere ultra ingenii humani vires non injuria quis putet, subnascentibus quotidie aliis atque aliis: quasdam tamen afferre non alienum erit. Propter Religionem jamdudum bella gerere placuit; vel ut Pagani idolorum cultu profligato vi coacti Christianam amplectantur; vel ut perperam sentientium animis error, uti jactatur, armis adhibitis evellatur; vel denique, ut eorum resistatur libidini, qui omni crudelitate dissentientes, licet innoxios, persecuti, animorum libertatem atque corporum securitatem eripere haud verentur. Fac, pietatis studio incensos bellandi mole-

molestiam minime fugere quosdam Christianorum Principes; quamvis omnino persuasum habeam, aliud illos sæpissime agere, aliud velle videri. Etenim qui locorum commoditatibus adducti longinquas expeditiones susceperunt, idque propter religionem facere se jactitabant; quis dubitet, quod eventus docuit, lucri potius & prædæ quam pietatis caussa profectos esse; religionem vero ideo consiliis suis obtendisse, ut simplicium animos ad pericula subeunda pertraherent, & avaritiam, ambitiosam augendæ potentiæ cupiditatem, & crudelissimam tot hominum mactationem falso titulo occultarent? Verum sit in illis præcipuum Religionis amplificandæ studium, ideoque fana Deorum gentilium una cum suis antistitibus & cultoribus evertant; ut in locum superstitiosæ idololatriæ genuinus Dei succedat cultus, & in amplissimas regiones indigenis orbatas novi homines tanquam Ecclesiarum coloniæ deducantur? Quis tandem ejusmodi propagandæ Religionis rationem illos docuit? Profecto Servator noster non isto pacto hominum saluti ut consuleretur præcepit; longe alia remedia adhibuit, & Apostolos adhibere docuit. Salutari enim opus erat doctrina, ut homines ab errore ad veritatem reducerentur; miraculis divinis, quæ fidem conciliarent dictis, & in animis hominum veritatis opinionem; vitæ denique innocentia, ne mores & vivendi consuetudo à præceptis dissiderent. His armis instructos dimisit non tantum Apostolos, cum in terris versaretur, sed etiam mundo eos reliquit, vitæ, doctrinæ & miraculorum non minus testes incorruptos,

quam assiduos præcones. His rebus effectum, ut erroribus exemtis, tenebris discussis, superstitione profligata, & impietate dissipata, animi hominum, radiis divinæ gratiæ, quæ piis laboribus deesse non poterat, illustrati, ad veritatem, lucem, veram fidem & pietatem converterentur. Priscos Ecclesiæ Doctores aliter faciendum existimasse, nuspiam, quæ nobis reliqua sunt, eorum monumenta docent. Quod si Hipponensium ille antistes Augustinus ne mendacium quidem dicendum statuat ob salvandum proximi animum ab æterna damnatione, quid de illis pronuntiaturum fuisse dicemus, qui facinus Christiano nomini maxime contrarium ausi sunt, ut Christianorum numerum augerent; & cruenta inierunt consilia, ut illustri appellarentur cognomento. Quanquam fortasse non multum quis repugnet, quo minus hoc tribuatur illis, qui tantum sanguinis ubique fuderunt. Scimus quidem, priscam Ecclesiam sanguine rigatam quam maxime crevisse, verum non alieno, sed suo; non ut Christiani fierent, qui nondum essent, sed qui erant, ne deficerent. Viderint illi, qui consilia à decretis Servatoris alienissima suggerunt, aut consensu vel studio adjuvant: alienam conscientiam licet fallant, suam certe nunquam decipient, multo minus illum fugient, qui summa justitia & æquitate orbem judicabit. Is certe maximo eorum malo tandem vindicabit exsulantis Pacis injuriam, quam præ cæteris universæ Christianorum civitati tanquam fidum & bonum civem commendaverat. Accedimus ad eos, qui Religionis caussa bellum illis inferunt, qui eundem Deum fatentur,

ab eo-

ab eodem Servatore nomen gerunt, eodem Baptiſmo initiantur; ſed in quibuſdam diſſentiunt, ita quidem, ut nimiæ poteſtatis inſolentiam averſentur, vel ſuperſtitiones rituum quorundam fugiant, vel pro veris habere nequeant, quæ fidei puritati videantur adverſari. Centum amplius anni ſunt, quando Eccleſiæ malis remedia adhiberi ſunt cœpta; his vero opus fuiſſe ne iſti quidem diffitentur, qui cum illis, qui adverſus diſſentientes bella gerebant, in rebus fidei eandem tenuere ſententiam. Res quidem antea ſæpius tentata, ſed ſequiore ſucceſſu: niſi quod Waldenſium cœtus plane exterminari nequiverit. Ubi vero animi hominum proniores aliquanto exſtitere ad ea repudianda, quæ ſaluti ſuæ officere, & ad ea amplectenda, quæ ad cultus incorrupti puritatem pertinere crederent; tantum bellorum Chriſtiano orbi incubuit, ut neque dum incendium illud ſit extinctum. Sed & tum apparuit non minus conſiliorum vanitas, quam eventus infelicitas. Etenim verum eſſe, quod priſcis & proximis poſt Apoſtolorum tempora ſeculis Eccleſia declaravit, noſtra etiam ſecula confirmaverunt; ferrum, flammas, publicationem bonorum, exſilia, proſcriptiones, nihil valere in Religionis negotio; eaque ratione citius animam extrahi corporibus, quam opiniones religioſas hominum evelli animis: quin irritare iſta omnia potius morbum, qui talis putatur, menti inhærentem; quam ſanare. Cumque armis defendere, juſtum putaretur, quod armis petebatur, utrinque cruenta fuere conſilia. Alteris perſuaſum erat, cœlum mereri, qui ſuo periculo diſſentientes vel

 ejice-

ejiceret, vel prorſus deleret: alteris, futurum, ut gloriæ ſuæ poſt hanc vitam non parum accederet, ſi poſthabitis uxore, liberis, facultatibus, dignitatibus, periculis denique, & omni acerbitate fortiter adverſus hoſtes pro libertate ſentiendi & opinionum ſuarum veritate decertarent. Hinc diſcordiæ, ſeditiones & bella civilia in Galliis & Germania: avulſæ ab Hiſpanorum imperio intègræ provinciæ, neque dum in poteſtatem redactæ. Mutua odia, quæ tum concepta in principum animis, hæreditate quaſi ad poſteros derivata adhuc gliſcunt. Huc ſcilicet ſpectabant præpoſtera eorum conſilia, qui Eccleſiæ curam ad ſe pertinere gloriabantur, &, ſuum eſſe providere, dictitabant, ne quid Reſp. Eccleſiaſtica detrimenti caperet. Sane ad evertendam publicæ rei tam profanæ quam ſacræ ſalutem commodior non poterat excogitari ratio, quam qua illi Eccleſiæ commodis conſultum ire volebant videri. Erant inter gentiles variæ Philoſophorum ſectæ, nemo tamen eorum, quod ſciam, diverſa ſequentibus tam implacabile unquam indixit odium, ut bello diſſentientes perſequeretur. Amicam ſibi fatebatur princeps Philoſophorum veritatem, neque tamen propterea inimicos appellabat Socratem & Platonem, licet ad reprehendendas aliorum ſententias maxime proclivis. Cicero Academicus, vel, ſi mavis, nulli ſectæ addictus, familiariter cum Torquato Epicureo vivebat; Lucillius Epicureus Senecæ Stoico arctiſſima amicitia erat conjunctus; qui tanti etiam faciebat Epicurum, ut præclaras illius ſententias epiſtolis ſuis interſereret, & lubens fateretur, ſe in caſtra illius interdum

terdum transire, non tanquam perfugam, sed tanquam exploratorem. Etsi vero horum consuetudo neque leges nobis ferat, neque præcepta tradat, quid in vita sequendum sit, aut fugiendum; illud tamen constat, gentiles æquo animo tulisse diversam de Summo Bono tenentes sententiam, cum dissensum hunc omnium arbitrarentur gravissimum. Ecquis vero præter Servatorem, Apostolos, & antiquæ Ecclesiæ prudentissimos Doctores veram, quod hoc negotium attinet, viam monstrare, & suo exemplo informare nos potest? Cum plurimi eorum, qui hactenus operam dederant Servatori nostro, offensi ejus sermone deficerent, ne quidem illos retinuit; tantum abest, ut paratissimis ad obsequium Angelorum legionibus abuteretur ad eos persequendos. Cum eidem per civitates suas iter Hierosolymam versus facienti ex Samaritanis quidam nollent ulla in re commodare, idque more suo, propter perpetua cum Iudęis dissidia; discipuli vero, ut hanc inhumanitatem igne cælitus ulcisci liceret, magnopere rogarent; vehementer illos objurgavit, tanquam nescios, mansuetudinis & pacis Magistrum esse quem sequerentur; se enim in mundo adesse, non ut perderet, sed ut servaret. Neque aliter affectus fuit erga Petrum, cum educto gladio Malchi aurem in tumultu præcideret. Quæ omnia si homines isti dissimulare velint tanquam nullo pacto ad se pertinentia; est enim usitatum humanæ naturæ, ut sicubi in sacris decretis & exemplis falso interpretandis ingenio abuti nequeat, tanquam aliena illa repudiet; quomodo apertius illorum sive libidinem sive impruden-

prudentiam cohibere potuit, quam cum adversaretur sub aliena persona eorum voluntati, qui zizania de tritico putabant evellenda? Quam fidem ea in re Apostoli præstiterint Domino suo, Acta eorum testantur, quæ Lucas memoriæ posterorum prodidit. Neque aliter unquam in prisca Ecclesia actum esse reperimus; aut in dissentientes, Schismaticos vel Hæreticos sævitum, quin reprehenderent illud modestioris ingenii viri. Prætermissis multorum testimoniis unus atque alter sufficiat, & in his Princeps Augustinus; cujus verba quin adducam, intermittere non possum. Is cum Manichæos compellat, Illi, inquit, sæviant in vos, qui nesciunt, quo cum labore verum inveniatur: & quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quam rarum & arduum sit, carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri Solem suum. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quantis gemitibus & suspiriis fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi Deus. Postremo illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem sævire in vos omnino non possum, quos sicut me ipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere, & tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus & cæcus errarem. Arrianos omni tempore pro Hæreticis fuisse habitos, ignorare non possumus; tanta tamen modestia de illis pronunciat Salvianus, ut, cum existimet errores illos non tam malitiæ quam ignorantiæ imputandos esse,

ſcire quenquam neget, qualiter propter falſæ opinionis errorem in die judicii puniendi ſint, niſi judicem. Sane meliori illos loco eſſe arbitratur quam Catholicos, qui ſcientes & prudentes facere haud verentur, quæ omittenda noverint; quod ignoſci aliquatenus ignorantiæ poſſit, contemtus vero non mereatur veniam. Ita quidem ſanctiſſimi viri; quorum auctoritas, miror, cur ita parum valeat apud complures, præcipue illos, qui ſibi ſolis hæc ſtudia vindicare conantur. Sint Hæretici quos perſequuntur; quanquam mallem iſtud potius conſiderari, quod ex Auguſtino in cauſſam retulit Canonici juris Collector; interdum, qui foras mittitur, intus eſſe. Verum ſint, uti dixi, Hæretici, quos tales eſſe volunt; num propterea flammis exurendi? ferro perdendi? bona eorum publicanda? in exſilium mittendi liberi? Fallor, aut non magnam à ſummo judice inibunt gratiam, qui, quod ſedula inſtitutione & ſalutari doctrina, ſi quis error obreperet; vitæ innocentia, Chriſtiana manſuetudine ac verborum modeſtia corrigere deberent, cruciatibus & perſecutionum acerbitate exterminare prorſus ſatagunt: quibus obfirmari potius animos quam frangi compertum eſt. Pluribus hæc diſſererem, niſi loci & temporis ratio me prohiberet: & omnino de illis vere dici poſſe crederem, quod Bernhardus, cum ad Eugenium Papam ſcriberet, Vides, ait, omnem Eccleſiaſticum zelum fervere ſola pro dignitate tuenda: honori totum datur, ſanctitati nihil aut parum. Hinc iſta mala, quæ in hunc uſque diem nos premunt, in Eccleſiam illata. Sive igitur avaritiæ ſtudio ducti, aut ambitionis; ſive incon-

ſiderato zelo impediant, quo minus tot bellorum moleſtiis tandem exſolvamur, immerito ſane pacem propter iſtas cauſſas exſulare quis ambigat? Reſtat ut de illis dicamus, qui, ut liberum Religionis, uti vocant, negotium in urbe aut regione ſua tueantur; hoſtes, à quibus eo nomine infeſtantur, repellunt. Sane ſi quod bellum Religioſum ulla ratione juſtum ſit, hoc ipſum tale videri poſſet. Quid enim juſtius, quam à ſe ſuorumque cervicibus armis defendere aliorum injuriam & maleficia? præcipue ſi nullis precibus, neque ſuis neque amicorum, ſecuritatem impetrare, vel pecunia redimere liceat. Qui non defendit vel obſiſtit injuriæ, ſi poteſt, tam eſſe illum in vitio pronunciat Tullius, quam ſi parentes aut amicos aut patriam deſerat. Verum ſi omnino non indigeat Religio armis & ferro ad ſui tutelam, non injuria quis dubitaverit de juſtitia bellorum, quæ quacunque ratione propter Religionem geruntur. Etenim gratior Deo cultus eſſe nequit, quam ſi vera fide & ſpe Deo adhærentes, ea quæ recta ſunt faciant, & quæ prava ſunt, omittant; unde Iacobus puram & immaculatam Religionem eſſe affirmat, pietatem erga orphanos & viduas (quibus omnia veræ fidei opera ſine dubio innuit) exercere, & immaculatum ſe ipſum ſervare à mundo. Certe ut verus Chriſtianus, quæ ſibi ſunt propria, amittat, nemo efficere poteſt: quid igitur opus eſt armis defendere, quod eripi nequit? At, inquiet aliquis, cito deſinent eſſe in terris veri Chriſtiani, poſtquam libere & ſecure non licet ſalutaria dogmata ſine labe hominum animis inſtillare. Etſi enim illis, qui ea jam perceperunt, perſecutorum

odia

odia nihil noceant, cæteri tamen tanquam rudes rerum divinarum facile ad errores impelli & in devia seduci possunt: quod ne fiat, liberum exercitium ita est conservandum, ut qui contra quicquam audeant, armis, si aliter non licet, arceantur. Fateor, si quid afferri queat, ne bella pro Religione suscepta Servatoris nostri decretis adversari videantur, hoc unicum esse. Verum humanum potius hunc crederem metum; qui, ejusmodi bella ut justa sint, efficere nequit. Quin haud difficulter ademerit illum antiquorum Christianorum consuetudo; qui in persecutionibus nihil præter fugam licere sibi putabant: alii, quorum alacrior erat ad pœnas propter Christum subeundas animus, ultro cervices offerebant carnifici. Neque est, quod quis existimet, viribus illos & armatorum copiis destitutos non potuisse persecutorum multitudini resistere, animum vero minime illis defuisse. Etenim aperte illud negat Tertullianus, & Christianos maluisse vindices occultos agere affirmat, quam hostes apertos, etsi vis numerorum & copiarum minime defuerit. Thebæa legio, quod inprimis memorabile, ex Christianis militibus collecta, hactenus obsequebatur Imperatori Maximiano, quamdiu adversus hostem pugnabatur: post ubi sacra Diis falsis facere illos, idque cum recusarent, initio decimum quemque, deinde omnes interfici jusserat, arma abjecerunt; quod nefas esset, arma contra ferre, quos non nisi patientia munitos esse oporteret. Neque vero, quod metuebatur, propterea Christianorum multitudo decrevit; sed quam maxime ista patientia eorum Religio invaluit, ita quidem, ut ex sanguine

cæsorum semper pullularet nova Ecclesia. Equidem quod omnes contemnerent mundanarum rerum gloriam & splendorem præ amore veræ Religionis, qui Christum fatebantur Deum & Servatorem suum; idque factis declararent, quod verbis profitebantur: non dubito quin major Christianorum numerus eo tempore fuerit, quam postea, ubi universo pene orbe in Ecclesiam intruso, id Christianorum non pauci esse cœperunt, quod antea erant Pagani. Quæ licet ita sese habeant, omnino tamen Magistratus est officium etiam Ethnici, quanto magis Christiani, ut civium suorum salutem tueatur. Unde quoties licitum armata manu resistere illi, qui perniciem Reipub. sine caussa molitur, toties etiam cives & subditos defendere fas est, ubi propter Religionem ipsis imminent pericula. Verum, nisi fallor, hoc est bella illata propulsare non tam propter Religionem, quam propter salutem publicam. Multa enim existunt, quapropter bellum inferatur; quæ non tam ipsa defenduntur, quam incolumitas civium, cujus turbandæ neque caussam ista afferunt satis idoneam, neque necessitatem. Verum quod in aliis fieri solet, neque in hoc negotio prætermittitur. Efficax res est ad persuadendum Religio; huic omnia deberi existimant; idque eo magis, quod metus sit, ne æterna salus amittatur, si quid illi decedat. Quod ubi animadvertunt sagaciores, simpliciorum animos prætextu Religionis sæpe ad se rapiunt, ut eorum ope adjuti, tanquam rem omnium preciosissimam vel propagaturi vel defensuri, opes, dignitates & potentiam adaugeant. Quo ingenio plurimos fuisse legimus, qui

voca-

vocabulo Religionis, quam omnibus actionibus suis semper prætexebant, ad ambitionem & inexplebilem propagandi imperii cupiditatem mira calliditate sunt abusi. Et his quidem de caussis plerumque bella geri solent propter Religionem, cujus appellatione & prætextu simplicioribus animis non raro illuditur. Quod si inde libeat transire ad alias, quæ Respub. inter sese, vel alias cum aliis, Reges cum Regibus & Principibus vel cum subditis suis committunt? tanta est earum multitudo, ut ne recensendis quidem illis sufficiat ingenium aut otium. Neque etiam id fieri nunc est necesse; cum, summam interdum bella gerendi necessitatem hominibus incumbere propter hominum contumaciam & injuriæ inferendę cupiditatem, ne exsul quidem noster, pro quo dicimus, diffiteatur. Qui quidem ita est affectus erga omnes, ut exsulandi molestiam haud recuset, modo paullo post eò honestius restituatur. Unde intempestivum sui amorem odit in illis, à quibus ita revocatur, ut vixdum ad portas admissus, è vestigio in diuturnum remittatur exsilium. Neq; enim ignorat, hanc rationem redeundi in gratiam nihil esse aliud, quā scintillas cineribus obducere, ut pro exstinctis habeantur; interea vero spacium facere, & sarmenta colligere, ut erumpens flamma correptis lignis majore ambitu liberius vagetur. Quod ipsum ne fiat, suo damno & fugiendi acerbitate civium majorem & diuturniorem incolumitatem redimere haud gravatur; si quidem interea, qui arma sumunt, tam salutariter utantur, quam didicerint iis uti gloriose. Verum quoties absque hoc est, quis neget toties immerito Pacem ex-

 sulare?

sulare? Aliis potentia vicini usque adeo est invisa, ut quocunque modo ipsi detrahendũ censeant; unde dubio metu impulsi certum in periculum se suosque committunt: Et licet feliciter rem gerant, tamen nihil aliud afferunt nisi devictis servitutem & suis detrimentum; ne dicam, quantis sumptibus conservandum, quod aliis est ereptum. Contra, si impares sese videant, ad infausta deveniunt auxilia, pertractis in societatem quoscunque licet: accedit deinde foederum necessitas, quæ invitos ad bella impellit; vel suscipienda, vel diutius, quam velint, gerenda; donec prostrata jaceant omnia. Ita dum aliorum potentiam student imminuere, vitam sibi reddunt inquietam & suorum turbant tranquillitatem. Alius nimio amplificandi imperii studio ductus omnia bello miscet, ut sublatis aut in potestatem redactis, quotquot cupiditati suæ adversentur, solus propter potentiam sit formidabilis. Alius propter negatum matrimonium bella gerit; stultus sane vel crudelis, quod gladio ita pectus aperire velle videatur, ut amorem instillet; aut levem contumeliam non nisi humano sanguine eluat. Alius novarum rerum studio veterem dominum aversatur, felicius ætatem se acturum ratus, si nemini vel alii pareat, quasi tanti referat, quis imperium administret, modo publicis commodis consulatur. Alii sedium mutandarum avidi fertiliores agros petunt, ac si satius sit periculosa adire, quam tuta tenere. Alius non ante existimat arma ponenda, quam poenas dederint, qui adversus majestatem, quod plerumque in bellis civilibus evenire solet, deliquerint: cum delicta illa sæpe non à voluntate delin-

quentium proficiſcantur, ſed vel à ducum libidine, vel malevloorum interpretatione, vel externo bello, quod vicina plerumque involvit. Et ſi vel maxime quicquam peractum, quod à civium & ſubditorum officio putatur alienum; nonne melius eſt ignoſcendo tandem aliquando ſibi conciliare eorum benevolentiam, quam diuturna implacabilitate animos magis magisque irritare? Ita quidem judicabat præſtantiſſimus ille Athenienſium Thraſybulus. Cum enim Lacedæmonii per triginta Tyrannos urbem captam regerent, erepta libertate, Thraſybulus autem patriam civitatem non minus prudenter quam fortiter tyrannide liberaſſet, legem tulit, ne quis anteactarum rerum accuſaretur, neque multaretur; quod videret novas inde diſcordias orituras, quæ civium ſalutem, quam unice reſtituere laborabat, impedirent. Neque vero legem illam oblivionis ferendam tantum curavit, ſed etiam, ut valeret, effecit. Athenienſium hanc rationem ut Romani poſt interfectum Cæſarem imitarentur, & inimicitiis, contentionibus, injuriis, bellis, cædibus, exſiliis atque proſcriptionibus perpetua oblivione ſepultis, ad priſtinam pacem & concordiam redirent, graviſſima oratione in Senatu diſſerebat Cicero; turpe eſſe dictitans, à qua urbe Majores ad conſtituendam Remp. leges accipere non eſſent dedignati, illius exemplum in tranquillando civili tumultu à poſteris contemni. Verum ut irrita eſſent, quæ paullo ante perſuaſerat, funeſta effecit Antonii oratio; qui Concordiæ amorem ſimulabat, donec ſpe potentiæ jamdudum illectus Cęſaris cadavere ad nova bella excitanda abuti liceret. Quæ res tantam perni-

ciem

ciem attulit Reip. Romanæ, ut non ante cessarent bella, quam deletis non tantum illis, qui libertatis sese profitebantur patronos, sed etiam ipsis factionum principibus, arma in Augustum cederent. Cui hoc facilius fuit omnes imperii partes complecti, quod discordiis civilibus fessæ nihil æque ac pacem anhelarent. Nobis vero, quo minus ex aliis faciamus periculum, quid tandem obstat, nisi quod sapere malimus ad hominum perniciem, quam ad tuendam incolumitatem? Liceat quæso Pacem exsulantem data quasi fide publica hoc loco adducere, Christianos qui inter se digladiantur, ita compellantem: Quo vobis mentes, qui à mansuetissimo duce & auctore nomen geritis? Me commendabat tanquam fidum ac bonum civem, cum è mundo discederet, & innoxiam ferre non potestis. Aut relinquendus erat nobilis titulus, aut concordia exprimenda Christi doctrina. Itane de vobis ille meritus, ut salutaris præcepti ne minima quidem esset auctoritas? Tantine criminis ego rea, pro qua ad deprecandum nihil valeant neque lachrymæ neque suspiria? Quousque perferetis civium querelas, piorum luctum, & desertarum regionum gemitus? Homines estis, & humanitatem exuitis, commune societatis vinculum. Tanta accedat cura & parentum sollicitudo necesse est, ut vel unicus adolescat filius; & nihil pudet conjuratione facta in vestram ipsorum conspirare perniciem. Ratione estis præditi & robore muniti, ut consiliis & auxiliis minuatis humanas necessitates; Sed nulla est verecundia tam crudeliter convertendi in mutuum exitium providentiæ munera. Christiani estis, quibus turpissimum est

non

non posse servare concordiam. Hostes vestri nominis aversamini, quasi Christiani sitis, qui tam cupide bella geritis. Est quidem cur vobis gratias agam, quod tandem post longissimas deliberationes eo res deducta, ut de me reducenda comitia habeantur. Verum periculum esse videtur, ne in limine retenta, aditu ad interiores ædes prorsus excludar. Nolo tamen male ominari, nisi fortassis vestra perversitas meam contumeliam conjunctam esse velit cum ludibrio Summi Numinis: Cujus reverentia usque adeo animis vestris excussa videtur, ut quod in templis petitur, in curiis oppugnetur; & à quo ignosci vobis velitis, illius impediatis clementiam. Neque vero tam queror illatam mihi injuriam, quam vestram, qui ejicitis, miseriam. Mihi consuetudo exsilii calamitatem reddidit leviorem, vobis extrema quæque victoribus non minus quam victis imminent, nisi mitius mecum agatur. Cogitate, quanta mala secum bella ferant, quantas calamitates & damna; me vero nocentem nemo arguet, nisi quem animi sui vitia perdunt & abusus rei per se bonæ. Cogitate, qui innocentiam in cunis ferme relinquitis, & celeritatem nocendi pro virtute habetis; quod minus proclive sit arma ponere, quam sumere. Cogitate denique, quam difficile in bello sit studium sanctimoniæ; cujus qui est expers, pro clementia Iudicis, quam falso sperat, vindictæ sentiet acerbitatem, quam in vita deprecatus est. Quod si illi, qui sibi vivere videntur, remotiores aliquanto ab illis negotiis, quæ frequentes peccandi occasiones suppeditant; nihilo secius ultro fateantur oporteat, præcipitem esse vitæ viam qua feruntur;

nunc ſaxis aſperam, nunc ſentibus obductam, nunc gurgitibus interciſam vel torrentibus rapidam, ut laborandum, hærendum, & cum magna cadendi ſollicitudine gradiendum ſit: Quanto impeditior hæc via ſine dubio eſt illis, quibus voluptas eſt humanum ſanguinem fundere, gloriam ex alterius miſeriis comparare, ſuamque ſecuritatem & licentiam alienis periculis vel ſervitute munire. Quomodo inimicis benigne facient, qui amicis etiam damna inferunt, ut illis tanto expeditius noceant? Quomodo ignoſcent, qui leviſſimam contumeliam non niſi diris modis ulciſcendam putant? Quale quæſo erit juſtitiæ ſtudium, ubi nemini ſuum relinquitur? Quomodo alienis abſtinebit, qui inter rapinas vivit. Qualis integritas eſſe poterit, ubi doli & fraudes pro felicitate & prudentia habentur, ſi ſucceſſu non careant? qualis innocentia, ubi ad perniciem & exitium alterius omnia convertuntur ſtudia atque cogitationes? denique qualis pietas, ubi tot ac tanta impietatis exempla & veſtigia? Equidem non ignoro eadem vos mecum fateri, qui diſcordiis & bello eſtis implicati; ſed invitos ad bellum vos pertractos aſſeveratis. O homines, larvam detrahite animis veſtris, & reperietis, iram, avaritiam, ambitionem, ſuſpiciones multorum bellorum exſtitiſſe cauſſas. At cavendum erat, ne ita conditorem veſtrum deluderetis. Quid enim rogatis ut depellat, quod ipſimet vobis accerſitis? Tantum abeſt profecto ut, quæ agitis, ille ignoret; ut ne cogitationes quidem veſtras celare eum queatis. Sicuti magna pars profectus eſt velle proficere, & magna pars virtutis odiſſe vitia; ita etiam magna pars pacis
eſt

est odisse bella & pacem velle ex animo. Vestris quæso tandem consulite commodis, vestræ saluti,& ne æterna, quod maximum est periculum, felicitate excidatis, satagite. Vestram à vobis deprecor incolumitatem, dum ut me restituatis, contendo. Si quem exsulare necesse est, adversariam meam tanquam seditiosum civem & omnis tranquillitatis turbatorem ejicite. Quod si aliud mihi non est reliquum, versibus saltem querulis ut ferociam illius prosequar, permittite.

Heu nimium Bellona ferox atrocibus ausis
Dudum Europæos horrenda cæde cruentat
Campos; infestis signis odiisque perenni
Servatis studio fusus cruor imbuit arma:
Dulcibus & priscos cultores exigit arvis
Dedignata modum bellandi sæva libido.
Usque calent sceptris Belgarum excita superbis
Arma virûm; lituoque vagas stridente per undas,
Æstuat armiferis constratū classibus ęquor.
Præcipitem Rhodanum tumido committit Ibero
Bellica tēpestas. Ruit in sua dāna Britannus
Longæ pertæsus felicia tempora pacis.
Incaluit Boreas gelidi septemque Triones;

Armorũq; citat ſua plauſtra referta Bootes:
Nec minus, infandum! nebuloſus inhorruit
Auſter.
Vultum mæſta jacet ſibi poſt ſua fata ſuperſtes,
Monſtrorum domitrix quondam Germania tellus;
Lentaque ſpectanti luget ſibi funera duci:
Dum fera cõmotas agitat diſcordia mẽtes,
Triſtiaq; optatam conturbant arma quietẽ.
Tantum civili nunquam ſatiata cruore
Bellandi rabies potuit ſuadere malorum.

Ita quidem Exſul noſter, ſi pro ſe dicere poſſet. Mihi vero etſi longinquo, liceat quæſo, quicquid orationis eſt reliquum, ad vos convertere, quotquot ab Imperatore, Regibus, Principibus & Rebuspub. ad pacem faciendam conveniſtis, Legati. Neque enim aliunde impetrari poteſt, ut civitati ſuæ reddatur, cujus cauſſa fuit dicta; neque præter vota & preces à nobis quicquam proficiſci, qui per literarum & ſapientiæ ſtudia ætatem tranſigere inſtituimus. Quinque & viginti amplius numeramus annos, poſtquam Germania noſtra funeſto fato impelli, & in ſeſe arma expedire cœpit; tanto quidem ardore, ut imperium non minus præſidia ſtabilitatis, quam ornamenta dignitatis tandem amiſſurum videretur. Interea quoties devicti ſunt adver-

adverſarii aut negotium compoſitum, toties ex profligatorum ruinis & pace facta, nova renata ſunt bella; quod potentes amici dolerent proſtratorum infelicitatem, aut excludi ſe gravius ferrent, qui poſt bellorum moleſtias ad ſe quoque pertinere volebant otii jucunditatem. Hinc ſuſpiciones & diſcordiæ; quibus facile eſt occupare hominum mentes timiditate, imprudentia & ambitione jam antea infectas. Alii ſecuritati ſuæ metuebant ab illis, quorum præſidio deberent eſſe tuti; alii credebant dignitatem minui ab his, quorum benevolentia & conſenſu muniri illam oporteret: adeoque & cives nullum imperii eſſe modum Magiſtratibus, & Magiſtratus cives ſuos plus juſto libertati ſtudere arbitrabantur. Utrique igitur ad arma capienda incitati, ne aliis imperii titulo ſervitutem afferre liceret, alii vero, ne libertatis tuendæ deſiderium præ ſe ferentes intolerabilē occultarent contumaciam. Sciſſa proinde Reſp. in partes, earumq; ſtudia conquiri cæpta ſunt; utrinq; vero dum bella gererentur acerrime, ſingulos cepit publicæ tranquillitatis oblivio. Eſt enim uſitatum in rebus humanis; ut turbata Rep. ea tantum quæramus, neglecta populi ſalute, quæ in rem noſtram fore videntur, & imprudenter nimis arbitremur, noſtram nobis ab aliis ſejunctā eſſe poſſe fortunam. Succeſſit perennis in patriam calamitas, cum neque victi quieſcere poſſent, neque victoribus ſecuros eſſe liceret; & in armorum ſocietatem pertraherentur externa regna, ut quod ſuis quiſque non poſſet, alienis opibus tueretur aut recuperaret. Nihil denique malorum ſupereſt, quod ex hoc fonte non re-

dundaverit. Squallent sine colonis agri, & abactis populando jumentis inter sulcos relinquitur aratrum; ferro & igni vastantur regiones, fumantque passim incensa tecta. Omnibus ante portas fere bellum est; plurimos etiam intra mœnia vexat, & in ipsas domos persequitur. Deserta loca infelices habitant aves, quibus non aliunde cibum petendi facta est potestas nisi ex immani cæsorum strage. Maria etiam inquietantur, tanquam ad mortem nimis angusta sit terra, ne cædibus & sanguine ullus in orbe locus relinquatur vacuus. Ex his omnibus tanta oritur morum degenerantium pravitas, ut in exsilium actis optimarum artium studiis, disjecta pietate, justitia & probitate, ultra etiam quam duratura sit hæc bellandi ratio, barbaries & improbitas ne orbem obsideat, metuendum sit. Toties licet respirandi tempus concessum videatur, in diversa deductis exercitibus; tamen non nisi in pœnam renascimur; neque quicquid interea succrevit, alienis unguibus infestatur, instar Tityi cujusdam, sed suis dentibus viscera erodit misera Germania, eorumque, quos ad tristes epulas invitavit periculi metus & sui defendendi cura. Ita quidem in nos viri sumus, in nostram ipsorum armati perniciem; & quod extremum est, ipsi excitavimus tot ac tam graves procellas, ex quibus non nisi vestra opera, Viri eminentissimi, ad incolumitatem pervenire nos posse speramus. Magna vis est unum & idem sentientis Senatus; & eo animo vos convenisse credimus, qui à quietis consiliis non abhorrens rationem sequi malit, quam fortunam; quæ sicuti plerumque fallax, ita neminem

magis decipit, quam qui incertos casus parum reputat. Quid igitur obstat, quo minus optata pace tandem fruamur? Publica vox est, quæ intra hos parietes emittitur, ex tot gemitibus ac suspiriis conflata. Liceat igitur vestris auspiciis, ad quæ omnem salutis spem convertimus, pacatam exspectare senectutem, quotquot inter bellicos tumultus educati sumus, aut civilibus turbis implicati mediam exegimus ætatem. Quid juvat armis & castris dissidere, quos conjungere debet sanctissimi nominis memoria & commune periculum, quod à Christiani nominis hoste imminet? Satis datum est dolori, satis suspicioni, satis civilibus dissidiis, quæ ne in odia erumpant internecina, cujusvis est providere. Sive victor sit exercitus, sive cladibus acceptis, adversarii terreatur virtute; utrumque de otio cogitare oportet. Alteri enim certa pax tutior esse debet, quam sperata victoria; alterum belli satietas & fusus suorum sanguis ad quieta impellere debet consilia; neque justa sunt arma, quæ ideo capiuntur, ut ad internecionē potius pugnetur, quam ut in pace tandem vivatur. Non indignamur moram, neque tempus à vobis duci præter caussam querimur; modo ne frustrentur desideria nostra, &, dum omnes Remp. salvam cupimus, partim studiis, partim consiliis à communi utilitate aberretur. Grave est, hominem homini in periculo non succurrere; quanto gravius est, ad quorum fidem turbata regna spe tranquillandi confugiunt, ab illis committi, ut neque suo neque alieno sanguini parcatur. Vitam enim eripuisse creditur, qui, ne servaretur, mora effecit & negligen-
tia.

tia. Excitate tandem, excitate afflictam Germaniam; & ne salutaria consilia quorundam perversitate, aut nimia solicitudine, aut ulciscendi studio, si qua offensæ memoria est reliqua, superentur, prohibete. Quod si tamdiu bella gerere libeat, donec altera pars victa manum dederit; non pacem nobis dabit ista victoria, insolens quippe & rectis consiliis inimica, sed servitutem: quæ quanto gravior est erectis animis, eo celerius ad asserendam libertatem vel inermes impellit. Quæ vero vita eorum, quos ita angit timoris cruciatus, ut, quia semper habent quos metuant, sine armatorum præsidio tuti esse non possint, & securitatem suam mercenariorum fide & robore metiantur potius, quam subditorum caritate? Nihil fortasse neque ad concordiam aptius, neque ad fidam & diuturnam pacem firmius, quam si bella civilia omnium salute ante restinguant prudentes viri, quam devicti oblatas conditiones accipere cogantur: Istas enim raro temperat æquitas, & non semel fuere infelices, qui victoriæ modum, animi iracundia maluerunt definire, quam Reipub. salute. Jure videtur Germania delecta, in qua sicuti civilis belli fluctus vicinis etiam regnis molesti fuerunt excitati, ita in eadem aliquando detumescant. Quam felicitatem vestra cura, diligentia, opera & consiliis, Christiano orbi, satis diu in voluntarium ruenti interitum, eventuram esse, animus vester confidere jubet; qui dudum ad bene sperandum signa quasi sustulistis. Quo quidem studio nihil vel ad dignitatem amplius, vel ad famam & omnium temporum notitiam illustrius, vel ad totius

impe-

imperii emolumentum salutarius esse aut excogitari potest. Est aliquid, amplissima spolia detrahere hostibus, trophæa statuere, quibus locis feliciter pugnatum, ponere statuas, & in scriptis eruditorum bellicæ virtutis relinquere famam. Verum quis ignorat, multis modis illam deteri cum devictorum calamitate, & posterorum ægritudine, qui majorum clades sibi exprobrari gravissime ferunt; tum æqualium & suorum invidia. Quæ quidem tanta erat in Alexandro M. ut res gestas Philippi patris obtereret, ne immodico æstimatori sui minus liceret, quæ gesserat ipse, celebrare. Quinetiam quæcunque feliciter in bello geruntur, ea ne Imperatorum sint propria, militum virtus efficit, locorum opportunitas, auxilia sociorum, &, postquam in concursu res à consilio abit ad vires vimque pugnantium, maximam partem quasi jure suo fortuna sibi vindicat. Qua de caussa Clytus Alexandro omnia ad se referenti, alieno sanguine partam gloriam intercipi respondebat, quod Trophæis Regum nomina tantum inscriberentur. At vestra, quæ nunc agitatis consilia, vestra merita & beneficia, quæ nobis parari credimus, nulla ratione sui memoriam labefactari aut maculari patiuntur. Non ad cædes ista spectant & sanguinem fundendum, non ad ferrum & flammas, insidias & fraudes, non ad gentium eversionem aut agrorum vastationem; sed ad pacis & otii vias aperiendas, ad salutem civium, ad cohibendam armorum licentiam, ad revocandam fidem, ad securitatem singulorum, & reficienda omnia, quæ bellorum disjecit iniquitas. Illud agitur, ut in tranquilli-

tatis ſtudium reflectantur animi bellis aſſueti, & honeſtis ac firmis pactionibus dirimantur cruenta negotia. Non facile ceſſat flamma, quamdiu reliquum eſt quod corripiat, niſi hominum labore reſtinguatur; neque fluctus ſubſidunt ventis agitati, quamdiu per plana vagari atque terras inundare licet, niſi valla exſtructa & moles oppoſitæ impetum cohibeant aquarum. Eadem eſt armorum conſuetudo, conſideratius illa interdum capiuntur initio, quam gerantur poſtea; addit enim aliquid temeritati felicitas, furori ultio, & audaciæ pericula. Nunquam ſua ſponte excidunt tractantium manibus, poſtquam nimia diuturnitate & ardore incaluerunt; niſi quieta tandem interveniant conſilia, quibus incendia belli reſtinguantur, & omnis mali obſtruantur fontes. Quæ felicitas quanto jucundior eſt acerbiſſimis illis calamitatibus, quæ ex bellis oriuntur, tanto gratior veſtra, unde illam ſperamus, erit memoria, in omne ævum ſine dubio permanſura: quippe non æri inciſa, non lapidibus inſculpta, neque in ſolis literarum monumentis conſervata, ſed in animis hominum penitus abdita. Hi enim poſteros, ad quos uti periculi & turbarum, ita etiam ſecuræ tranquillitatis venit hæreditas, veſtri beneficii nunquam patientur immemores. Vicerat Timoleon Siculorum Tyrannos, ceperat qui adjutum illos erant profecti, maximas Carthaginenſium fugaverat copias; nihil horum effecit, ut conditor urbium illius Inſulæ exiſtimaretur, niſi poſtquam inter incolas eam conſtituiſſet concordiam, ut non minus illi, quibus bello ſua eſſent erepta, quam quibus aliquid acceſſerat, omnes

ſine querela diſcederent: & mœnibus reparatis, faniſque refectis civitatibus leges libertatemque reddidiſſet; tota denique inſula tantum conciliaſſet otium, ut priſtinæ calamitatis facile obliviſcerentur. Longe melius de patria ſua meritus eſt Hamilcar, cum inteſtino bello compoſito tantam Africanis redderet tranquillitatem, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuiſſe; quam poſtea, cum glorioſe potius quam pro ſalute patriæ arma ſumturus, adhibitis ſacris & jurejurando, puero Hannibali perpetuum erga Romanos inculcaret odium. Hunc ſane & ſuis cum quibus ſteterat, & hoſtibus adverſus quos pugnaverat, æque fuiſſe inviſum, nihil eſt mirum. Ita enim adverſarios odiſſe didicerat, ut grave ſibi eſſe confirmaret, quicquid de pace & amicitia cum illis cogitaretur: quæ res tandem effecit, ut ſponte quidem dimitteret animam, odium vero non niſi cum illa. Quid renovem memoriam Romanorum, quorum in urbe Janus erat, belli index ſi apertus; pacis ſi clauſus foret? Tanto celebratiora ſunt apud illos clauſi illius tempora, quanto rarius evenit bellicoſæ nationi pacatos circum omnes habere populos. Neque hoc beneficio Numa tantum & Octavius fuere illuſtres, qui, pace terra marique parta & finitimorum animis amicitia, ſocietate ac fœderibus junctis, Janum claudebant; ſed & T. Manlii conſulatum eadem tranquillitas maxime reddidit celebrem. Idem vobis contingat neceſſe eſt, qui ut orbi noſtro pax reſtituatur, magnopere elaboratis. Non tantum ad vos pertinebit iſta gloria & inſtauratæ tranquillitatis fama, ſed omnes illos, qui quoquo modo eminent, eadem

ætas nominis immortalitate donabit. Diversa forte consilia suggerunt, qui antequam oblivionis laudem consequantur, omnia excutere satagunt; & severitatem plus prodesse dictitant, quam inanem clementiæ speciem, si qua offensæ opinio est reliqua; quod nihil perniciosius videatur quam improbis hoc pacto relinquere, unde nequitiæ & neglecti officii exempla petant atque præsidia. Verum si ita agere libuerit, quis tandem futurus est omnium turbarum finis? quæ major imprudentia, quam dum, quod veremur, ita cavemus, ut quod mansuetudine & clementia adhibita evitare possumus, noxia severitate & periculosa mora ultro attrahamus. Quotusquisque dum alieni mali vindex esse voluit, sui detrimenti & eorum, quibus salutem debet, improvidus exstitit auctor! Numquid tandem digna sunt precia, propter quæ tot classes, tot exercitus, totque egregii amittuntur duces? Qui aliena appetimus, sæpe de nostris dimicare cogimur: & quicunque tandem futurus sit omnium eventus, plerunque damna, fastidia, fraus intestina, domesticorum insidiæ, & in rabiem conversa fortunæ sive mora sive indulgentia opprimere nos solent. Quanto jucundior res est vindicta, tanto majorem afferre solet perniciem; neque unquam terminos illa reperit, intra quos consistat. Delictum videtur, quicquid nos offendat, etiam præter illius voluntatem, quem pœna dignum judicamus. Paretur licet ultio, & arma expediantur ad puniendum; injuriam sibi fieri putabit is, qui pro sonte habetur, & vindictæ sentit dolorem: nihil igitur intermittet, quo minus injuriam

(ita enim interpretatur, quicquid pœnæ habuit nomen) vel propulſet vel data occaſione vindicet. Eo animo ſi omni tempore eſſe velimus omnes, quis tandem imperabit aut parebit, niſi qui vel prudenter diſſimulando pudore afficiat alienam ſuperbiam aut offenſam, vel ſalutariter ignoſcendo & ferendo alterius ſuperet iniquitatem? Sin ſecus; nunquam erunt feriæ apud forum, vel non niſi cum periculo, ſi per diſceptationem decertare libeat; aut ſero exſpectanda eſt armorum quies, ſi nihil præter vim & bella litibus finem imponere debeat. Sed meliora ſperamus, pro eo quem erga Chriſtianum orbem gerere vos non dubitamus, animo. Et proinde, quod unum poſſumus, qui inter Muſas delitescimus innocentes ac taciti, veſtram opem ſecundum Deum imploramus. Succurrite tandem turbatis rebus, & fatalem illam bellorum infelicitatem, quæ regna, regiones atque urbes involvit, à nobis declinate; tot ac tantas calamitates, quæ nos obruerunt, conſolamini; quæ imminent, prohibete. Feſſam recreate patriam & ſub onere gementem; quæ niſi mature fulciatur quiete, viribus deſtituta non tantum ipſa concidat neceſſe eſt, ſed eadem ruina, quicquid cohæret, in eandem trahat perniciem. Salutaribus conſiliis imbuite eorum, quibus hanc operam debetis, animos; ut de revocanda pace, fide, concordia & pietate ſint ſolliciti. Reducite ſalutari opera probitatis & pulcherrimarum artium ſtudia, quæ jam diu in exſilium egit bellorum iniquitas. Orbi denique, ſi non univerſo, ſaltem Chriſtiano, terra marique tranquillitatem reddite,

otium & ſecuritatem ; quæ una ratio priſtini doloris minuet acerbitatem. Ita fiet, ut cum exquiſitiſſimis veſtris laudibus ad ſeram uſque poſteritatem vigeat floreatque illuſtre nominis veſtri decus, & nunquam intermoritura fama.

BENE-

BENEDICTI BAHRII
DE
ARTIBUS IN SCHOLA TRADENDIS ORATIO.

Publice habita in Schola Stralesundensi, cum Rectoris munus susciperet.

XVII. *Kal. Octobr.*

cIↃ IↃ C XLIII.



Vicquid universo terrarum orbe conspicitur, suis fundamentis niti animadvertimus; usque adeo, ut sicubi ista evertantur, corruat necesse sit, quicquid super illis est exstructum. Neque vero id evenit in his tantum, quæ ob oculos sunt posita; cujusmodi sunt cœlum & corpora cœlestia, terra, regiones, urbes & reliqua omnia, quæ vel conditoris nutu producta, vel hominum voluntate facta cernuntur; sed etiam in illis omnibus, in quibus homines ita versantur, ut stulte quicquam vel sapienter egisse merito dici queant. Quorum alterum quia vituperationem, alterum vero laudem meretur: haud puto quemquam fore ab humanitate ita remotum, quin malit prudentum quam stultorum numero haberi. Nisi cujus opinio ad illam spem traducta est, ut quæcunque velit, temeritate & malitia facilius, quam honestis consiliis

& vir-

& virtute se posse consequi arbitretur. Vita autem ut sapienter transigatur, nihil æque necessarium videtur, quam recta & proba primæ ætatis atque adolescentiæ institutio. Ista enim si talis fuerit, qualis esse debet; ad rectæ rationis normam exacta; adhibitis in consilium illis, non qui in umbra inani quadam persuasione oblanguerunt, aversati civilis vitæ consuetudinem & molestias; sed qui eximia eruditione rerumque agendarum perspicacia præ cæteris multum valuerunt; nihil dubitandum, quin optimos in Ecclesia & Repub. earumque omnibus partibus exspectare liceat. Quæ cum ita sint, haud abs re futurum putavi, si de illa ex hoc loco verba facerem: quippe quod omnium proxime illud munus contingat, ad quod, Deo, uti spes est, gubernante non minus, quam vestra omnium, ad quos ea cura spectat, voluntate admoveri mihi contigit. Neque vero est, quod quis ita de me suspicetur, ac si arroganter aut temere existimem, ea me allaturum, quæ parum aliis sint cognita; aut ista omnia quæ huc pertinere possint. Etenim ingenue fateor, nihil esse caussæ, cur dissentiendum putem à præstantissimis hujus & superioris seculi viris, quorum sententiam de erudienda juventute, vel coram exquirere licuit, vel in egregiis monumentis, quæ nobis reliquerunt, perspicere. De omnibus vero quæ huc spectant, neque temporis ratio dicere permittit; neque disciplinarum ambitus, qui latissime patet. Præcipuis igitur in aliud tempus reservatis, aut doctiorum ingenio relictis, de iis potissimum sermonem instituere decrevi, quibus linguam erudiri, ju-

dicandi

dicandi facultatem adjuvari, & dicendi peritiam acquiri credimus; quæ omnia Grammaticæ artis, Logicæ & Rhetoricæ ambitu comprehenduntur. Quod ipsum antequam facere incipiam, à vobis magnopere contendo, Viri omnium ordinum honoratissimi, ut qua voluntate vestra hunc locum conscendi, eandem ad me audiendum benevolentiam adhibeatis. Sermonis cura in homine est præcipua, ut non tantum quæ ab aliis dicuntur, recte intelligat; sed etiam animi sui sensa per verba & voces commode explicare possit. Cum enim ab ipso vivendi exordio societate quadam contineamur, quam conservari hominum interest, ne ferarum instar passim vagantes alii aliis tanquam præda objiciantur; facile apparet, vincula esse hujus societatis ad conciliandos homines inter se satis idonea. Quæ etsi non unius sint generis, quandoquidem alii imperium habeant commune, alii ejusdem sint civitatis, alii mercatura & navigationibus conjungantur, alii familiaritate, affinitatibus aut consanguinitate: primas tamen partes sibi vindicare videtur linguæ usus & oratio; absque qua esset, vix quicquam reperiretur, quod hominem ab animantibus brutis discriminaret. Erat quidem illa una eademque omnibus omnino mortalibus; sed quæ semper est hominum supra se emergendi cupiditas, temperare sibi non poterant, quin superba ædificandi ratione summum conditorem adversus sese irritarent. Quo factum, ut quos exstincti nuper humani generis memoria non deterrebat, linguarum varietate impediti cœpto desisterent. Exstitere postea migrantibus hinc inde Nationibus aliæ

atque aliæ; partim etiam pro ſeculorum libidine ita mutatæ, ut nulla ratione priſtinis habitatoribus intelligi poſſent. Uſque adeo linguæ nunquam minus metuendum eſt, ne tot mutationibus ſit obnoxia, niſi poſtquam peritiorum ſcriptis illigata certæ cujuſdam gentis eſſe deſiit. Id quod inprimis accidit, non tantum Hebræo ſermoni aliiſque in Oriente, qui ore totius populi terebantur, ſed etiam Græco & Latino. Quia vero his linguis tot ac tantæ res perſcriptę ad nos pervenerunt, multis retro ſeculis à prudentiſſimis viris judicatum eſt, omnino dandam eſſe operam, ne amitterentur: præcipuè vero Latina, quod per complures Nationes diffuſa multarum rerum facilitatem conciliaret. Ad hanc igitur licet, quæ nunc dicturi ſumus, pleraque ſpectare videantur: ejuſmodi tamen erunt, ut facili negotio ad quarumvis notitiam comparandam accommodari queant. Sicuti enim nihil magis confundit puerorum animos, quam eodem tempore duas treſve linguas præter vernaculam ex æquo docere; & protinus ſtudia & labores eorum in plura diſtrahere, quam quibus capiendis apti ſunt; ita perſuaſum nobis eſſe debet, qui in una lingua multum profecerit, illum non parum adjuvari ad cognoſcendas alias: quod jam antea intellexerit, quænam ſint illa, ad quæ in hoc negotio diligenter attendere oporteat. Fieri quidem non poteſt, quin Latina lingua non ſecus atque aliæ, quæ jam diu ab uſu populorum exterminatæ ſunt, difficilius addiſcatur, quam quibus certæ Nationes utuntur: unde etiam, quæ in his à peregrinantibus aliiſve ſervatur ratio, ſi ad illam referre quis velit, non

parum

parum aberraverit. Istæ enim ex consuetudine eorum, quibuscum vivitur, cognosci possunt, usuque domestico addiscuntur; quamvis neque hoc ignorem, qui accuratius illas pernoscere cupiat, ei præceptis & observationibus opus esse, etiam in illa, quam cum lacte materno imbiberit. Ast Latina lingua non nisi ex monumentis veterum, in quibus conservata est, peti debet. Quod quia longe difficillimum, succurrere nobis voluit peritiorum cura & industria, eamque difficultatem, quæ multos deterrere poterat, pro viribus minuere. Hinc igitur nata est ars illa Grammatica, quam qui è Scholis removere, aut puerorum manibus excutere velit; idem mihi facere videtur, ac si quis Thesea filo Ariadnes erepto perpetuo oberrare in labyrintho coëgisset. Quam vero utilis illa & necessaria est tironibus, tam impedit etiam nisi recte tradatur. Principio prudens erudiendæ juventutis Magister id sollicitus esse debet, ut pueri recte legant, & suis quæque sonis literæ enuncientur. Etenim si in ista re primis annis peccatum, vix dici potest, quam difficillime adultiori ætate vitia ista corrigantur. Neque vero nunc laboro de Veterum Latinorum accurata pronunciatione; à qua quantum recessimus, videre licet; si, quæ apud Ciceronem & Fabium de seculi sui consuetudine legimus, cum nostra comparentur. Sufficit si doctiorum in patria nostra morem sequuti; quarundam Nationum asperam obscuritatem, blandientem mollitiā & perversos sonos vitemus; idq; sedulo detur opera, ut quod in catulis laudat Tullius, sonus sit dulcis; literę neq; expressę neq; oppressę; ne aut obscurum sit

aut putidum nimis: ſine contentione vox nec languens nec canora. Quod ut perficiatur, etſi non poſtulem Magiſtrum multa eruditione clarum; illud tamen conſtat, neque indoctum & agreſtem ad hoc idoneum eſſe. Proximum eſt, ut ſcriptioni etiam aliqua impendatur cura: Qui enim eruditionis ſuæ argumentum eſſe arbitrantur ſordes literarum, quas pingunt; non immerito pro ridiculis habendi ſunt, ne quid gravius dicam; certe quibuſdam accidere ſolet, contra quam de ſe ipſimet ſentiunt, ut tam docti ſint, quam ſcribendi artis periti. Illud non dubito, quin venuſte ſcribere malint, quam ſordibus inquinare chartas, niſi voluntatem facultas deſtituat. Quare qui propter publicam curam quam gerunt, magnopere ſtudent, ut Scholis ab hujus artis Magiſtris proſpectum ſit, laude aliqua dignos eſſe judico: quæ etſi minima ſit in cæteris aliis, magnum tamen inde ornamentum eruditioni accedit. Iam propius aliquanto, quæ ſint Artis Grammaticæ, intueamur neceſſe eſt. Sicuti qui plane illam exterminari cupiunt, egregie falluntur; ita etiam ab illius tractatoribus haud raro peccatur: præcipue vero illis, qui præceptorum regularũq; obſcuritate & multitudine impediunt potius quam adjuvant. Omnium rerum quæ artificio quodam comparantur, & ad perfectionem aliquam tendunt, ea eſt indoles; ut poſtquam natura dederit initium, ſagax prudentiorum obſervatio artem efficeret. Medicina olim fuit paucarum herbarum ſcientia, quam creſcentibus morbis & ipſam creſcere erat neceſſum. Non defuit hominum ingenium neque ſuis commodis neque alienæ ſaluti: videbant

debant alia ſalubria, alia inſalubria; & longius progreſſi, quod ſæpius aliorum errore decepti parum eſſent felices, aut ſua imprudentia minus cauti; illud paullatim animadverterunt, hominum & morborum non magis habendam eſſe rationem, quam cœli, temporum & remediorum. Quibus omnibus in unum quaſi collatis, ars exiſtere cæpit, cum antea per vaga remedia cuivis experimenta agere eſſet libitum. Ars nautica quomodo tandem ſit effecta, ſive ad vaſtiſſimas naves ædificandas, ſive ad curſum in loca nunquam viſa dirigendum, forte nos lateret; niſi quanta fuerit Americanorum in hoc negotio ruditas, nobis innotuiſſet. Eſt enim ita comparatum, ut quæ à nobis remotiora ſunt aliquanto, eorum plerique ignoremus initia. Illos ſane quis crederet arbores radicibus hærentes in navigia potuiſſe convertere abſque ullo ferri & chalybis uſu, ita ut ignis eſſet pro ſecuri, & concha pro dolabra: niſi eorum monumentis certiores facti eſſemus, qui Barbarorum conſpecta ruditate non minus eorum admirati ſunt ſagacitatem quam laboris tolerantiam? Etenim ubi natura hominum animis deſiderium inſtillavit earum rerum, quibus carere nullo modo ſe poſſe putant, aut non ſine maximo incommodo; nihil prætermittunt cum ad neceſſitates ſublevandas, tum ad comparandas utilitates. Animadvertebantur in aquis providentiæ munera, quæ ſuo quaſi cœlo relinquere inſolens judicabatur; ultra vivebant, qui ratione præditi, & homines hominum aditu prohiberi, à natura videbatur alienum. Nihil igitur impedire tandem potuit, quo minus in mari aut fluminibus via ſterneretur. Majo-

rum inventis posteri multum addidere, quæ rudia nimium, in melius mutaverunt; donec tandem observationes in artem conclusæ navigandi viam non minus reddiderunt planam, quam expeditum naves ædificandi modum. Neque dissimilis est ratio aliarum artium, quorum effecta animo potius cernuntur quam oculis. Tenue admodum apud Romanos historiæ scribendæ fuit initium, uti Antonius apud Ciceronem pluribus disserit: Annales conservabant memoriam publicam opera Pontificis Maximi, eorumque tabulæ domi proponebantur; ut populo esset cognoscendi potestas. Successerunt alii, qui & ipsi relicto ornatu, modo intelligeretur quid dicerent, unam dicendi laudem putarent esse brevitatem & veritatem. Animadversæ paullatim sunt virtutes, quibus alii alios antecellerent: sive in rebus ipsis elucerent illæ, ordine temporum, regionum descriptionibus, consiliis, actis & eventu consignando: sive in verbis & orationis genere. Tandem præclari viri aliorum inventis ita utendum esse putarunt, ut & ipsi aliquid adderent, quod in Majoribus frustra quæsitum, in suis scriptis posteri admirarentur. Illis historiæ legibus, ne quid falsi dicere audeant Scriptores, ne quid veri non audeant, ullamque vel gratiæ vel simultatis afferant suspicionem, multæ aliæ accesserunt; quod illud agendum crederetur, ut non tantum veri cognoscendi studio lectores incitarentur, sed etiam scribendi caperentur modo & dicendi venustate. Ista itaque omnia principio admodum rudia ita erudiri cœperunt, ut posteaquam à prudentioribus perspectum, quæ à quoquam laudabiliter aut

infe-

infeliciter facta, eorum ars aliqua instituerettur. Cæterum quę eodē modo primum sunt inventa, cur dubitemus quin pari ratione postea percipiantur & tradātur? Optimus sane futurus est artifex, qui præcepta ita cōhiberit, ut ad ea potissimum respiciat, quæ quondam dispersa & dissipata, artibus tandem conclusa sunt. Inter opifices qui artem profitetur, discipulum non ad præcepta semper attentum esse postulat, rarissime adhibito eorum, quæ præcipit, exercitio. Quin potius id agit, ut, quem suscepit erudiendum, paucis admonitus operas aliorum intuens, ea efficere discat, quæ jussus est: omnino ita fieri debere ratus, ut ubi præcepta quædam dederit, artis peritia labore & industria comparetur. Postea vero tantum abest, ut præceptis non amplius opus esse existimet; ut ipse etiam, si artis perficiendæ sit cupidus, apud alios artifices exquirat, quæ similitudine quadam cum arte sua conveniant: aut præstantissimos viros adeat, quos Mathematicis disciplinis excultos, plurimarum artium fundamenta accuratius perspexisse cognoverit, ut ex eorum sermone atque consuetudine ea hauriat, quæ sibi ex usu esse queant. In Arte Grammatica vel recte percipienda vel commode tradenda, ut eo revocetur unde huc declinavit oratio, non existimandum est aliter fieri debere. Quapropter illud cognitum esse oportet, Veteres Latinos non secundum hanc artem formasse linguam suam, sed ejus præcepta ex his, quæ apud auctores diligenti & accurata lectione sunt observata, ab eruditis concinnata esse; ac proinde facultatem ex auctoribus petendam esse præcipue: ab arte vero, præter pauca quædam, quæ inde

pro-

promi necessum est, hoc inprimis exspectandum, ut nos doceat, quænam operosa diligentia in legendis auctoribus animadvertere conveniat. Secus qui fecerint, aut alia ratione ad hujus linguæ notitiam perveniri posse putaverint; illis profecto idem eveniet, quod non tantum de sui seculi hominibus vere dicit Joannes Ludovicus Vives, sed hodieque plurimis evenire videmus, qui pro Grammaticis sese venditant, ut bene loquantur secundum canones, male secundum consuetudinem Veterum; cum tamen illa sit hujus sermonis magistra, ita quidem, ut quoties ab ea recessum, tot fere existerent Latinæ linguæ, quot sunt Nationes, in quibus ea discitur. Cum enim unaquęque errore aut discendi ignavia ad Vernaculæ genium Latinam accommodari posse putaret, modo regulas quasdam teneret ex Grammaticis libellis deromptas, aut vocabulorum aliquem numerum; factum est, ut ejusmodi linguam sibi formaret, quæ alteri cuipiam genti parum intelligeretur. Unde tot obscuritatibus ipsæ etiam disciplinæ atque artes involutæ, ut seculo amplius in illis tollendis doctissimi quique laborarint, & adhuc laborent. Neque vero illis assentior, qui præceptis neglectis complures formulas colligunt, quibus si abundent, satis se instructos esse autumant. Etenim ut nihil dicam de usu formularum, qui sine norma aliqua constare nequit, quæ nihil aliud est quam artis particula; quid quæso audebunt, ubi destituti aut incerti, quo sermone res quæpiam exprimenda sit, obmutescunt? Frustra plane à memoria auxilium petent, cum succurrere illa omni tempore nequeat. Quin & illud fieri videmus, ut modo

modo optime loquantur, modo non nisi meros soloecismos effutiant. Quod plerumque illis accidere solet, qui postquam integras historias aut sententias, quas memoria tenaciter sunt complexi, ex optimis auctoribus in scriptis suis aut sermonibus interseruerunt; prorsus languent, ubi à semetipsis petere quædam necesse habeant; desperatis ingenii viribus, quod linguæ indolem nondum satis perspexit. Felices igitur tamdiu, quam alieno labore diserti, orationes coficiunt non multum dissimiles humano corpori, cujus aliæ partes sanguine & rubore suffusæ justa habitudine gaudent; aliæ pinguedine nimia intumescunt; aliæ vero macilentæ admodum vix ossa tegunt. Sed inquiet aliquis: quo igitur modo Grāmaticam doceri jubes? Respondere quæso liceat Verbis Ioannis Caselii, Viri de studiis literarum optime meriti: Vim universæ hujus artis, inquit, in inflexione dictionum consistere arbitror: in qua puerum ita exerceri velim, ut sit exercitatissimo promptior; præceptionibus vero & regulis oneretur quam paucissimis, statimque deducatur ad intelligendos Latinos Scriptores. Ita quidem Vir harum rerum intelligentissimus. Neque vero interea libellus Grammaticus ab oculis puerorum removendus est: sed omni studio laborandum, ut quæ summi Viri verbis modo diximus, probe pernoscant, adjuti cum dexteritate Magistrorum, tum exemplis ad hanc rem maxime idoneis. Quod si tantos adolescens in Lingua Latina progressus fecerit, ut vi vocabulorū & significatione percepta aut aliunde exquisita, pleraque auctorum intelligere incipiat, præter illa quæ non nisi antiquitatis & historiarum

fabularumque notitia adhibita cognoscuntur; tum demum ut accuratius Grammaticam perdiscat, anniti decet. Id verò non tám fieri debet percipiendis, quotquot sunt, Grammaticorum præceptis, quam eorum scriptis legendis, qui ab omnibus Latinæ linguæ judicantur peritissimi. Primum volutandi, quorum sermo eruditis probatur, & imperitis planus est; ideoque ad intelligendum sunt faciliores, & primarum ætatum ingeniis magis accommodati. Deinde ad illos veniendum, qui neque affectata obscuritate impediant & ubique indigeant interpretis, neque nimium faciles nihil relinquunt lectoris ingenio: Hoc enim mavult interdum suo acumine delectari, quam primo statim intuitu omnia capere. Ciceroni verò ut quisque est simillimus, ita maxime meretur, quem adolescentes legant & pro Magistro habeant linguæ formandæ satis idoneo. Etsi vero Tullium & simillimos Latinæ linguę artifices cæteris longe anteferendos existimo, adductus cum Fabii aliorumque Veterum, tum doctiorum quorundam nostri & superioris seculi auctoritate, etiam eorum qui diversam dicendi viam sunt ingressi; non tamen propterea, omnia quæ apud illos occurrunt, imitanda videntur: quandoquidem Demosthenem non minus Cicero, quam Homerum Horatius nonnunquam dormitasse arbitretur. Multa exciderunt summis Viris aliud agentibus, quæ postea nollent, sed revocare non licebat; multa, ut erat quisque linguæ augendæ cupidus, protulerunt, quæ ut alii probarent, efficere non potuere; quare quæ dixerunt quidem, sed non persuaserunt, tanquam parum consecrata habentur. In his ea numeramus,

quæ

quæ ſemel fortaſſis atque iterum leguntur cum ejuſdem rei frequens ſit mentio; aut quæ ſæpius apud unum lecta in cæteris habent neminem, qui ad uſum eorum conſentire voluerit. Minus quidem peccat, fateor, qui illis verbis utitur, quibus ſummi auctores uſi ſunt; multū tamen refert eorum uſu delectari, quæ à conſuetudine non ſunt aliena: & hanc ſicuti in vivendo conſenſus efficit bonorum, ita in ſermone conſenſus eruditorum. His addere poſtremo licet, qui utilitatis multum afferre quidem poſſunt, ſed in quibus imitandis major eſſe debet cautio. Alii enim etiam ante Conſtantinum M. vel nimio ſui amore ducti, aut novitatis cupiditate impulſi variis vitiis dicendi genus corruperunt, rerumque pondera minutiſſimis, uti Fabius loquitur, fregerunt ſententiis: alii obſoletorum tenaces maluerunt ſermone uti, quo olim locuti fuerant homines, quam quo loquebantur cum populo eruditi; alii modo artis vocabula in ſermone interſeruerunt, modo quæ regionibus quibuſdam uſitata à communi lingua abhorrebant; id quod Livio accidiſſe memorant, qui Patavinitatem in eo reprehendunt. In his omnibus ita verſandum, ut quicquid inde petitur (at quam plurima poſſunt!) ad Nepotis, Cæſaris, Tullii, Terentii, Velleji aliorumque his ſimilium normam & rationem ſit exactum. Dum in his opera collocatur, ita ſe gerere quemvis oportet, ac ſi ipſemet Grammaticum in colligendis obſervationibus juvare aliquando velit. Summa cura omnia ſunt perſcrutanda, quid ſingulæ voces ſignificent, quomodo cum aliis cohæreant, quibus vinculis colligentur. Et quia non omni tem-

 pore

pore æque fida est memoria, sæpeque reddere gravatur, quod recte quis credat depositum: non recusabit colligendi laborem adolescens discendi cupidus, vitata tamen confusione. Cujus rei etsi varia ab aliis suppeditantur consilia, optime tamen fecerit, qui quæ aliquando in rem suam fore existimet, in eum referat locum, unde postea petiturum sese confidat. Ita sane memoria nihilo secius habet, quod agat, & in promtu erit, unde possit sublevari, sicubi defecerit. Lentum quidem videtur negotium, & occupasse hos labores aliorum industria magnis voluminibus; quorum curam elaboratam & accommodatam maxime ad cujusvis usus aspernari temeritatis esset vel arrogantiæ. Verum ut nihil dicam, quanto rectius ejusmodi thesauris uti noverit, qui & ipse aliquandiu ad colligendum adhibuerit manus, & ex suis indicibus sapere malit quam alienis; longe diligentius versabitur in auctoribus cognoscendis, qui passim inesse ratus, quod sibi ad utilitates suas servet, nihil secura lectione transcurret, sed introspiciet singula, & quantum quæque habeant virtutis, indagare enitetur. Illud vero, quo nihil neque ad felicitatem sermonis aptius, neque ad dignitatem gravius; ut omnia membra suis quasi articulis connectantur, recto ordine & apta junctura, quicquid est verborum, cohæreat; quæ huic non conveniant, in illum transferantur locum, quo maxime congruant; totus loquendi complexus, qui inprimis virtutes aut vitia ostendit, talis sit, ut quemadmodum in structura lapidum, omnis indecora vitetur enormitas; & ut paucis dicam, Linguæ idoles

ita sit cognita, ut quicquid cum in suo tum in aliorum sermone ab illa abhorreat, aurium pene & oculorum perspiciat judicio, etiamsi cur ita sentiat, non exactam semper possit reddere rationem: Illud, inquam, numquis consequi poterit sine diligenti & considerata auctorum lectione, & qua neglecta nihil ista proderit, operosa observatione? Occupare vero hanc industriam ita decet, ut non tam solliciti simus de Grammaticis quibusdam regulis aliisque ad artem hanc componendam pertinentibus, quam de orationis facultate ad veterum similitudinem paranda: quandoquidem qui secus fecerint, aut præcepta magis assidue ante oculos habent, quam exempla; id efficient, ut, quod jam Fabii temporibus quibusdam evenisse videtur, Grammatice potius quam Latine loquantur. His studiis dum dediti sunt adolescentes, admiscendi etiam sunt, qui de Grammatica Arte scripserunt, præcipue veteres; qui multa nos docent, quæ, absque his esset, plane nos laterent. Quibus si ex recentioribus addere quis velit, quæ non ita dudum Polyhistor ille Vossius de Arte Grammatica edidit, aut Thomas Linacer Anglus ante centum amplius annos de emendata structura Latini sermonis; operæ precium, quod spondere ausim, fecisse se videbit. Equidem sicuti Hispanorum Doctissimus Linacrum vere ait multa Latinæ Linguæ mysteria ostendisse, ita non satis mirari possum, hujus viri libellum ab usu adolescentum remotum inter rejiculas chartas pene obsolescere. Minime vero metuendum est, ne plurimum temporis in his consumatur. Satis est ejusmodi adolescenti-

bus, quos ad hæc ſtudia idoneos putamus, annus aut ſemeſtre ſpacium; quo exacto non tantum gaudebunt alieno judicio confirmari, quæ ſuo ingenio & aſſidua diligentia eruerint; ſed etiam ad illa quæ neglecta ſunt, adjuti aliorum induſtria, animum advertent; multoque rectius eorum vel monitis vel exemplo edocti videbunt, quo pacto legendis Latinorum ſcriptis operam impendere debeant; idque ideo, ut non tantum, quæ ab illis ſunt ſcripta, animo cognoſcant, aut ſenſu percipiant; ſed etiam ad eorum ſimilitudinem dicendi & ſcribendi facultatem conſequantur. Magnopere cavendum, ne in eorum errorem inducamur, qui ex Scholis dimiſſi, Grammatices amorem, & uſum lectionis, probro ſibi ducunt: longe aliter ſenſerunt, quorum admiramur ſummam eruditionem; ſed ſecuri nimium aut arrogantes, qui noſtra nihil intereſſe putamus, quibus viis ad tantam gloriam evecti; vel nobis otioſis accidere poſſe, quod non niſi maximo labore illi conſecuti ſunt. Profecto non Scholarum temporibus, ſed vitæ ſpacio iſta ſtudia terminarunt; tantumque abeſſe rati ut gravioribus minus vacare liceret, ut animi rebus levioribus relaxati, ad iſta redirent alacriores. Iſta vero quæ hactenus diximus, ita ſunt accipienda, ut nihil prohibeat, quo minus puer, quem leviora Grammatices ſtudia adhuc detinent, nonnihil etiam Latine balbutire incipiat: modo Magiſtrum ſit nactus, qui quam artem alios docere velit, ipſemet prius didicerit. Difficillime enim ſordes & maculæ, quibus tenera ætate ſermo eſt inquinatus, poſtea eluuntur. Quæ mala ſi caveri non poſſint, & in eum Magiſtrum puer

inci-

incidat, cujus opera multa discat, quæ satius sit ignorare; Pythagorico silentio annos illum aliquot transigere melius judico, quam perversa loquacitate linguam corrumpere, & paulo post sese atque alios dediscendi fatigare molestia. Unde Timotheus quidam clarus in arte tibiarum duplo majorem exigebat mercedem ab illis, quos alius instituisset, quam qui rudes traderentur; quod existimaret, æque difficilem esse dedocendi laborem, quam docendi. Quæstuosum esse quibusdam captatoribus non nego, pueros fidei suæ commissos ita assuefacere, ut extemporalis garrulitas nec exspectata cogitatio sibi lucrum & imperitis parentibus inane gaudium afferat. Cum enim nihil illis æque jucundum, quam filios celeriter audire aliena lingua loquentes, nihil mirum eorum credulitatem ita in fraudes patere. Neque deest quod huic rei obtendatur, In promptu sunt dicta; qui nunquam male, nunquam bene; à teneris assuescere multum; quæ convellere, stultum esse, quod vulgi auctoritate & consuetudine sint corroborata. Verum sicuti in illis quæ per se neque bona sunt, neque mala, multorum relicto consensu ab humanitatis usu quadamtenus recedere arrogantis est; ita insipientes merito judicantur, qui populum (est autem suus cuique ordini vulgus) pro maximo habent Magistro, præcipue in illis, quæ si recte fiant, magnas pariunt utilitates; si secus, multa incommoda: ne dicam, quam noxia præcepta simus habituri, si consuetudo ex eo, quod plures faciant, nomen accipiat. Exercitationis magna quidem vis est ad dicendi facultatem, sed si intelligantur quæ exerceri

de-

debeant, neque intempestiva loquacitas, quod Fabius metuit, inverecundam afferat frontem, consuetudinem pessime dicendi, & malorum exercitationem. Quorum nisi habita fuerit ratio, fallit multos quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere; cum & illud vere dicatur, ut perverse dicant homines, perverse dicendo facillime consequi. Ad Grammaticam artem quia Poëtica vulgo refertur, de illa etiam hic disserere non alienum videri potest. Sed si omnia huc congerere vellem, in immensum excresceret oratio; quare illud dixisse sufficiat: parum prudenter agere illos, qui versibus scribendis operam navant, cum ubique adhuc hæreant, si quid soluta Oratione proferendum sit; & si vel maxime in hac præstare quid possint, frustra esse nihilo secius, nisi legendis lectissimorum Poëtarum scriptis animum excoluerint. Quod ubi factum fuerit, neque natura abhorreat, neque ad diversa studia rapiantur curæ & cogitationes, tum in arte hac tentare aliquid licebit. Vehementer enim fallitur, qui ad versus scribendos idoneum sese existimat, modo verba hinc inde correpta in numeros & quidem satis celeriter cogere queat; longe aliter judicarunt, qui hac laude non tantum suis temporibus claruerunt, sed ad posteros etiam transmiserunt nominis famam. Cum quereretur aliquando Euripides, quod eo triduo non ultra tres versus maximo labore impenso extundere potuisset, gloriabatur Alcestis, qui Tragicorum numero habebatur, se centum perfacile scripsisse: Cui Euripides; sed hoc interest, inquit, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus

pus sufficient. Ita quidem gravissimus scriptor dissentiebat ab illis, qui magno numero versus effundunt. Licet vero multarum rerum cognitione instructum esse, & honestarum artium principia imbibisse oporteat, qui hanc artem cum aliqua laude exercere velit; quod quidem ab adolescentibus requirere à ratione alienum esset: magnam tamen utilitatem illis adfert Poëtarum interpretatio, si illam præcesserit doctrina de ratione carminum & syllabarum quantitate; si conjuncta sit frequens admonitio, quomodo in scriptis Poëtarum versari deceat, quid inde exspectare, quænam eruere, ad hominum mores cognoscendos, ad prudentiam augendam, ad virtutem denique & probitatem multum facientia. Neque omittenda est versuum scribendorum exercitatio, ita tamen ut qui velut afflatu quodam huc rapiuntur, præ cæteris adjuventur; & potior habeatur ratio earum rerum, ex quibus major utilitas sperari queat. Si enim in illis nimium elaboremus ad quæ capienda adolescentum ætas nondum satis apta, vel propter imperitiam eorum, quæ jam cognita esse debent, vel propter ingenium quod ad alia studia est proclivius; fieri non potest, quin parum frugifera sit opera nostra, & aliud agendo negligantur interea, quæ minori labore, fructu autem maximo perfici possint. Quoniam de Arte Grammatica dixi, nunc de ea dicam, quam plurimi veterum Rationalem Philosophiæ partem appellabant, nos vero Logicam appellamus. Erga hanc non eodem modo omnes fuere affecti. Epicurei illam plane removerunt, retenta naturali & Morali, secuti hac in parte Magistrum suum; qui nullam

in ea vim esse existimabat, nec ad melius vivendum, nec ad commodius disserendum. Cyrenaici, quorum sectæ originem dederat Aristippus, sola Morali contenti, una cum Naturali eam rejecerunt. Aristo Chius, Zenonis auditor, non tantum supervacuam esse, sed adversari etiam Morali Philosophiæ contendebat. Stoici judicandi vias diligenter persecuti, inveniendi partem totam neglexerunt: Utriusque vero Princeps Aristoteles exstitit, ut videtur Tullio, qui in utraque summam inesse utilitatem affirmat. Sicuti vero in quamplurimis aliis evenire videmus, ut unde adminicula exspectantur in Vita humana, ea sæpissime hominum vitio multorum malorum sint caussæ; ita & huic arti contigit. Quæ cum non immerito de se promittere queat eruendæ veritatis aut perspiciendæ facilitatem, in eos non raro incidebat cultores, à quibus male habita nil nisi spinosas contentiones peperit, & uberrimam quæstionum messem. Alii suis sese compungebant acuminibus, & multa complicabant ad ostentandas ingenii vires, quæ postea ne ipsi quidem explicare possent; partim suis delectati studiis ridebant alios, tanquam soli omnis sapientiæ custodes; neque melioribus tantum erant impedimento, sed & vires suas tenuissime concisas ipsa subtilitate cōsumebant; quosdam reperire licuit in disputando mire callidos, ita ut ad irretiendos alios neminē crederent sese magis idoneos; à quo negotio ad graviora deductis idem evenit, quod parvis animalibus; quæ in angustiis mobilia, in campo facile obteruntur. Neque vero Veteres tantum, de quibus modo dixi, à se invicem dissi-

diffidebant, aut parum utiliter ingenio abutebantur: ſed etiam qui poſtea vixerunt, hujus artis amatores mutuis diſſidiis alii adverſus alios exarſerunt. Ariſtoteles tanquam princeps, qui præcepta in ordinem redegerat, delectus eſt, in quo interpretando cum Græci & Arabes, tum Latini, ingenium & induſtriam occuparent; neque vero omnibus inter ſe convenire poterat de ſententia ipſius. Poſtquam illis ſeculis, quæ propius aliquanto à nobis diſtant, barbaries orbi incubuerat; gliſcere cœperunt ſtudia partium, unoquoque impium exiſtimante, niſi mordicus defenderet, quæ à Magiſtro acceperat. Aliud etiam acceſſit malum, linguarum imperitia: quarũ auxilium cũ deſperarent homines rerũ curam potiſſimum præ ſe ferentes; confugiendum erat ad diſtinctiones & diviſiones; & harum quo majorem quis poterat exſtruere molem, eo ſagaciore ingenio ſe præditum eſſe putabat. Multitudo igitur diſtinctionum adhibebatur, ubi vocula Græca aut Latina recte intellecta omnem difficultatem poterat removere. Certe hinc contigit, ut nulla pene ars plus ſordium & ſqualoris contraheret, quam hæc ipſa, de qua nunc verba facimus, ſordide nimis à cultoribus ſuis contrectata. Laborarunt quidem proximis temporibus Viri ad hanc rem ſatis idonei, ut huic malo mederentur; neque omnino fruſtra videntur operam poſuiſſe, modo optima eorum conſilia locum inveniant. Ad Scholaſticam quod attinet juventutem, huc enim potiſſimum mea nunc ſpectat oratio, ſicuti illis minime aſſentior, qui ex Scholis hanc artem ejiciunt, aut tanquam noxiam & rixarum genitricem plane

omittunt; ita nec eorum judicia probare possum, qui nimium in ea adolescentibus plene inculcandæ laborant. Certum est, Logicã non esse partem quandam Philosophiæ, sed instrumentum, ideoque in rebus versari, non ut earum notitiam suppeditet, sed modum ac rationem conjungendi ea, quæ separari minime debent, & disjungendi quæ sibi mutuo adversantur; eliciendi denique ex antea cognitis, quæ erant minus nota. Id vero absque rerum aliqua cognitione velle præstare, idem esset, ac si cæmentarius artem suam alios docere aggrederetur, neque lapidibus adhibitis neque calce. Solet animus noster in contemplando primum res ipsas circumspicere cujusmodi sint, deinde id agere, ut quæ inter se conjuncta sunt, intellectus minime dividat, aut conjungat ea, quæ propter repugnantiam aliquam copulari nequeant; denique ubi experientia & usu edoctus perspexit, unius rei cognitionem viam esse ad cognoscenda alia, ratiocinatione ita utitur, ut ejus adminiculo magis magisque se perficiat. Nihil horum à Logica exspectari debet, sed hoc solum, quo pacto facilius illud fieri queat, ubi in rebus indagandis studii quicquam collocari cœpit. Adolescentibus igitur satis est artis hujus vocabula explicari, exemplis ad hunc usum ex vita communi petitis, iisque minime obscuris; quid sint Synonyma & Paronyma; quid Prædicabilia; quid Prædicamenta: Quid Enunciatio, quam varia, & quæ illius affectiones. Vbi ad eam partem deventum est, quæ intellectui in argumentando succurit; in schematibus seu figuris Syllogismorum earumque modis ita exerceri debet

ado-

adolescens, ut absque opera difficili dignoscat, quinam sint illi, quibus falsi nihil consequatur, modo vera sint, quæ fuerint præmissa. In ea parte, quæ ad inventionem pertinet, etiam exerceri nihil prohibet; cui adjici potest explicatio fallaciarum, pro captu ætatis. Et horum omnium ratio si interdum à discipulis exigatur in auctorum interpretatione, non parum conducet. Modo abhorreamus, quam potest fieri maxime, ab eorum moribus, qui in explicandis Veterum scriptis omnia Grammatice Logice & Rhetorice resolvendi scientiam professi; in illis, quæ cum amicitia & muneris ratio interdum requirit, tum arrogans libido non raro effundit, satis superque declarant, sese nullas artes minus didicisse, quam quarum Magistri volunt videri. Demonstrationis doctrina tantum abest ut adolescentibus declaranda videatur; ut non injuria quis existimet, rectius facere ex ipsis Magistris non paucos, si vel honeste hic inscitiam suam fateantur, vel accuratius demonstrandi artem addiscant. Omnino laterem lavat, qui ad hæc discenda aut docenda accedit, nisi ingenium elementorum Metricorum disciplina sit imbutum. Quod studium quoniam à plurimis hodie negligitur, nemo jure mirabitur, infelicius aliquanto in aliis nos versari, quæ hoc nituntur vel adjuvantur. Præ cæteris prudens Logicæ Artis Magister diligenter admonere debet discipulos suos, longe ampliorem esse eam, quam ut hoc tempore perdiscatur; pleniorem illius cognitionem alias parandam; quæ nunc doceantur, esse tantum minutas particulas: Argumentationum formulis minime abutendum esse,

 ad con-

ad contentiones & rixas, multo minus ad asseverandi in rebus parum intellectis temeritatem aut negandi audaciam; cum ea sit hujus artis indoles, ut ultro alliciat ad contendendi libidinem; præcipue si animi nondum expoliti sint illis disciplinis, quæ modestiam ingenerant. Denique minime existimandum, tum demum in aliis disciplinis recte illam adhiberi, si in pulverem usque omnia secentur, & in frusta potius quam in partes dividantur. Quæ ratio nescio quomodo plurimis ita arrideat, ut optimam hanc esse methodum sibi persuadeant. Sane in Veterum scriptis, quos docendi & scribendi artifices fuisse minime est dubium, ne vestigia quidem apparent hujus rei, nisi quod Seneca in sui seculi Sophistis hunc morem reprehendit, eodemque vitio laborare affirmat nimiam divisionem & nullam. Satis multa de Logica Arte dixisse mihi videor, restat ut de illis dicatur, quæ ad Rhetoricam pertinent. Quod eo commodius fiet, postquam de Arte Grammatica & Logica quædam allata, quæ Rhetoricæ cum illis sunt communia. Neque in redarguendo Vulgi errore nunc mihi laborandum est, qui eloquentiam multitudine verborum & concitato sermonis cursu metiri solet; ideoque existimat, ubi puer præcepta quædam ex Rhetoricis libellis ita perceperit, ut quot orationis sint partes, noverit; Caussarum genera & tropos dignoscere; dictionum, sententiarum & Amplificationum figuras in aliis exemplis exprimere queat; hunc satis idoneum esse, qui ad hanc artem exercendam deducatur. Qui enim ita sentiunt, horum auctoritate non multum moveri arbitror,

qui plus aliquanto sapiunt. Etenim si, quod præclare Tullius ait, omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis aut excitandis exprimenda est; profecto nisi prudentia multarum rerum accedat, verborum volubilitas tamquam res inanis merito irridetur. Quin & hoc non injuria exigit ab Oratore Fabius, ut sit Vir bonus, & præter dicendi eximiam facultatem, animi etiam Virtutibus excellat; publicarum & privatarum rerum administrationi accommodatus regere possit consiliis urbes, fundare legibus, & judiciis emendare; quod, si qui armati sunt eloquentiæ viribus, omisso Virtutis & officii studio, rebus optimis abutantur ad suam libidinem & aliorum calamitatem: ita ut multa mala inde metui sit necesse, unde maxima commoda sperari in Repub. debeant. Quæ si vera sunt, uti verissima esse nullum est dubium; quam exiguus est eorum numerus, qui ut oratores esse velint, obsecrandi! quanta multitudo, qui non tantum rogandi, ut esse nolint, sed etiam omni studio impediendi, quo minus esse possint! Ne furori ministrentur arma, & ad hominum perniciem temeritati & improbitati suggerantur instrumenta. Tantum abest ut adolescentum ætas ad hæc studia matura existimari debeat. Sed de his commodior forte dicendi aliquando erit occasio, nunc ad adolescentes nostros revertimur: his namque licet incipientibus via opus est, sed ea plana ad ingrediendum & ad declarandum expedita; idque non ante, quam linguæ aliquam peritiam sibi paraverint. Oratoriæ enim artis ne rudimenta quidem satis commode tradi possunt, nisi postquam

 sermo-

sermo à sordibus & impuritate, quibus inquinari solet, ita purgari cœpit, ut Romanæ dictionis quædam similitudo in illo appareat. Suum est Grammatico, quod diligenter egerit oportet, antequam Rhetoris cura sit opus; ille nisi de vitiis in sermone cavendis fuerit sollicitus, hic de Virtutibus in Oratione adhibendis frustra erit occupatus. Non desunt, qui postquam pueri ultra prima elementa paullum sunt progressi, ad colorandum sermonem assuefaciendos esse existimant; tanquam primæ lineæ satis sint expressæ. Quod ipsum si ita intelligi volunt, ut adumbrandi partes Grammatico tribuant, colores vero addat Rhetor; neque nihil dixisse videntur, neque omnia. Est enim quod in discipulo à Grammatico discedente requirat Rhetor: quod etsi neglectum resarcire possit, invitus tamen sibi personam imponi patitur, quam alterius fuerit sustinere. Verum sermonem rebus omnibus, personis, locis & temporibus optime accommodare, deinde efficere ut suis ornamentis decorus auditorem percellat, non tam ad diversas partes pertinere, quam unius artis distinctas esse particulas arbitror. Nisi quis ita censeat, pictorem solos inducere colores, adumbrandi peritiam aliis relinquere, aut aliunde quam ab arte sua petere. Sed ista subtilius excutere nunc non est necesse, neque fortassis multum interest in hoc negotio: modo nihil eorum negligatur, quæ didicisse conveniat. Aliud nisi fallor, quos memoravimus, intelligunt; quo nihil magis cum à Grammatico tum ab Oratore debet esse alienum. Non raro contingit, ut, sicuti ab imperitis gratia bene dictis

ctis non refertur, ita vitiosæ orationes pravitate judiciorum laudentur. Qui sua vel temeritate vel imperitia sunt decepti, credulos in errorem inducunt; fit inde consuetudo, & imitandi studium ad prava convertitur. Quod omnibus artificibus solenne, ut, quicquid deliquerint, ex arte factum contendant: idem & in Oratoria accidit. Ornamenta existimamus, quæ orationem maxime fœdant; quod paucis expediri potest, pluribus operose perficere, & communia vocabula aversati copiosa loquacitate omnia circumire nitimur. Hoc est illud, quod sub coloris nomine obtruditur, artificium; quo quidem ad decolorandam orationem nihil excogitari potest efficacius, inprimis si accedat Metaphorarum ambitio, & affectata figurarum diligentia. Profecto qui ita sentiunt, hydropicum pro sano habere videntur, aut hominem plagis percussum aspectu jucundiorem putare eo, quem non nisi suus & sanus color reddit amabilem. Qui in eodem sermone non unius linguæ Vocabulis utuntur, hos communiter admiramur tanquam variarum peritos; sed prudentiores omnino judicaverint, imperitia vel tarditate eos impediri, quo minus quæ velint, vernacula, aut illa qua cœperint exprimant. Non aliter judicandum de illis, qui longas adhibent circuitiones, & à dicendi consuetudine nimium remotis delectantur dictionibus: non est virtus illa sed infirmitas; destituti enim propriis, inanitate verborum inscitiæ opinionem minuere satagunt. Etsi vero omnem ubertatem & redundantiam sterilitati præfero, quod vincere hanc difficilius sit quam usu istam detergere,

K nolim

nolim tamen, quæ corrigenda sunt, longa consuetudine confirmari; aut, vitia fœcunditatis specie decipere. Quia igitur sermonis proprietate & puritate futuro Oratori nihil est utilius, magna hujus rei cura suscipienda est, antequam Rhetoricis præceptis adolescentium animus inficiatur. Quod ipsum si ita fuerit peractum, ut neque Grammaticus ambitiose occupaverit alienas partes, neque Rhetor suas omittere cogatur, tum demum libelli sunt deligendi, in quibus genera caussarum, orationis partes, tropi, & Orationis exornandæ modi, quas figuras vocamus, breviter explicantur: quæ omnia ita proponenda sunt, ut pluribus exemplis, iisque ex optimis quibusque auctoribus petitis illustrentur. De actione etiam admonendi sunt adolescentes, deque iis quæ memoriam adjuvare posse judicantur. Cujus laboris ut major esset utilitas, suadere non dubitarem, ut una atque altera Ciceronis oratio exponeretur, antequam ullo pacto ad Rhetorica præcepta accedatur. Certum est enim, artem interdum vix melius tradi posse, quam qua ratione primum diligenti observatione constructa est; quare nullo unquam tempore sive apud Græcos sive apud Latinos præstantiores exstitere Oratores, quam cum optima quæque in disertorum virorum orationibus à sagacibus & prudentibus ingeniis animadversa in artis formam redigi cœperunt. Præcepta ubi diligenter explicata, illud à discipulis exigi debet, ut quomodo eorum sit habita ratio, in orationibus ostendant. Neque tamen curiose nimis omnes Metaphoræ & Metonymiæ excutiendæ; aliter singulis fere vocibus ac phrasibus

ſibus immorari opus foret: quandoquidem pleraque Latinorum verborum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt, deceſſerunt. Satis erit in præcipuis aliquid operæ collocare, & quæ ſit in iis, quæ apud auctores occurunt, tranſlatæ ſignificationis ratio, oſtendere; ubi & hoc moneri magnopere neceſſarium: illa quidem imitari nobis, nova autem ad eorum exempla formare non niſi ingenii & judicii maturitate quadam accedente licere. Poſtea etiam progymnaſmata quædam adoleſcentibus tradenda, ut in partibus quibuſdam expoliendis exerceantur, & ingenium atque lingua ad dicendi facultatem præparentur. Suaſorias igitur & laudatorias materias aggredi interdum convenit: ſed diligenti cura videndum, ne declamandi licentia & inſcitia eloquentiæ cauſſas corrumpant; & præcipitata atque immatura ſtudia omnem maturitatis ſpem, ſi qua forte eſt, plane adimant. Denique adoleſcentes, quoties occaſio ſeſe obtulerit, illud ſedulo ſunt admonendi, iſta omnia introductionem potius eſſe, quam artem ipſam: hujus autem perfectam cognitionem ex Ariſtotelis, Ciceronis, Fabii Quinctiliani aliorumque monumentis, quibus futurum Oratorem abunde inſtruunt, comparandam eſſe: neque exiſtimandum, à quoquam plenius & perfectius, quæ quidem huc pertineant, eſſe perſcripta; quod veteres illi ad perſpiciendas orationum virtutes ac vitia ſatis eſſent ſagaces ac prompti; partim etiam dicendi gloria ita florerent, ut omnibus aliis facile præriperent palmam. Quod ſtudium ut majore fructu ſuſcipiatur, legendas potius eſſe optimorum quorumque Orationes & hiſtorias, quam

 conſe-

consenescendum in commentariis Rhetorum; variarum rerum cognitionem acquirendam, præcipue civilium, earumque omnium, in quibus actiones hominum versentur; Virtutem, probitatem, modestiam & integritatem maxime omnium hic valere: ita quidem, ut si quis honestatis opinione & prudentiæ ac eloquentiæ viribus instructus ad dicendum prodeat, ipsa Virtus & integritas verba facere videantur: cum fieri nequeat, quin fidem habeamus illi, quem ad nostras utilitates potius, quam ad sua commoda omnes curas, actiones & studia referre credimus. Et hæc quidem de Arte Grammatica, Logica & Rhetorica ex hoc loco dicenda esse existimavi, sed ita ut pluribus ea haud confirmarentur. Neque enim nostrum quemquam fore arbitror, qui cur diversa sentiat, satis habeat caussæ: nisi ex eorum sit genere, qui à discipulorum & imperitorum judicio pendere malunt, quam recta docentium sequi auctoritatem. Ego quidem non dubito futurum, ut, qui hanc studiorum viam, quam ipsa rerum ratio monstrat, ingressus fuerit, aliquando intelligat, operam se minime perdidisse; siquidem inertia & voluptate procul habita, laborem & vigilias impendere haud recuset. Qui enim compendia tanto studio quærunt, jacturam optimarum rerum & temporis tandem querelis prosequentur. Viderint illi, qui eruditionem sibi aut aliis promittunt absque labore & industria, quid efficiant. Vitia quæ contraxit tam publica quam privata institutio, una cum illis videmus, sed de remediis erat cogitandum, non qua ratione ignavia aleretur. Sane qui ex eorum disciplina egressus eximiam eruditionem sibi

compa-

comparaverit, hactenus videmus neminem. At, inquiunt, inepti sunt plurimi qui eorum adhibent consilia, sed sua inscitia & laboris fastidio impediunt. Non nego; sed in scholis publicis & Academiis idem non raro contingere sponte fateor. Neque unius industria & prudentia omnibus sufficere potest, neque plurimi, quæ recta sunt, capiunt. Ea igitur consilia arripienda, quæ in tanta docentium ac discentium multitudine non omnino fructu suo careant; idque cogitandum, egregiæ voluntatis & ingenii adolescentibus, qui illis doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, eruditi, satis esse, si vel unus sit atque alter, quorum eruditione, consilio & opera adjuti multum in studiis literarum proficere queant. Sed relinquimus illos compendiatores, satis certi, nihil unquam sine magno labore concessum esse mortalibus. Quod restat, Magnifici, Amplissimi, Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi, Prudentissimi, Doctissimi Spectatissimique Viri, ad vos me converto, & gratias ago quantas possum maximas, non tantum pro ista benevolentia, quam diligenti attentione erga me declarastis; sed etiam pro honorifica illa ratione, qua muneri huic publico præficere me, quibus hæc cura incumbit, voluistis. Iucundum mihi fuit cognoscere, studia mea licet absentis & ne de facie quidem noti, ita vobis probari, ut qui ex Academia publice ad hanc functionem ante semestre spacium vocarer, dignum me judicaretis. Quod ipsum si divinitus contigisse dicam, minime quicquam à veritate alienum dici arbitror. Etenim humana consilia, quæ intervenire oportuit, satis scio nulla

ratione corrupta esse, neque mea ipsius ambitione, neque favitorum gratia, neque spe privatæ utilitatis, nisi quam publica continet. Quæ quidem omnia eo majorem mihi ingenerant animi fiduciam & rei gerendæ alacritatem, maxime si, quod à summo Numine sperare ausim, perennis aliqua vitæ ac morum accedat innocentia. Cæterum nihil mihi antiquius erit, quam ea cogitare & efficere, quæ ad erudiendam juventutem vestram conducere possint. Hoc enim pacto vestræ exspectationi non minus, quam conscientiæ meæ satisfacere me posse confido. Laudabilis profecto cura, quæ non tantum suscipitur, ut hoste à mœnibus depulso civibus & incolis securis esse liceat; sed etiam ut pacis tempore, qualis illa inter armorum strepitus esse potest, optimarum rerum studia, & quæ ad Scholas atque publicam institutionem sunt necessaria, non negligantur. Neque vero dubito, quæ hactenus eo nomine egistis aut in posterum acturi sitis, quin feliciter eveniant. Contemta est provincia, quam suscipimus, quotquot laboribus Scholasticis vel omnem tribuimus ætatem, vel aliquam ejus partem; si carnificina potius est quam ludus; uti existimant, qui non tam discendi quam compescendi caussa petulantissimos quosque huc detrudunt. Multorum etiam exposita est judiciis, & in his non raro eorum, qui nihil minus possunt quam de re literaria judicare. Ita vel aliter docendi consuetudo pro lege obtruditur; quam qui imitari recusat, meliora edoctus, insolentiæ arguitur; quasi quæ à plurimis fiunt, omnibus probentur, nec ipsi Magistri multa tolerent, quæ invidiæ metu non au-

dent corrigere. Quin & discentes interdum non tam parere se præcipientibus, quam imperare postulant quid fieri velint; vana persuasione impulsi, suo judicio conservari aut amitti docentium auctoritatem. Quæ tamen omnia erectos animos & ad alia non plane ineptos ita movere non debent, ut ab eo negotio studia & curas prorsus avertant, aut pro juventutis salute quorundam reprehensionem pertimescant. Omnes ut docti & boni evadant, qui fidei nostræ committuntur, promittere non possumus, multo minus præstare; moribus ita corruptis, ut ipsa Virtus & solida eruditio res humanas impedire potius, quam adjuvare vulgo credantur. Operæ nos fecisse precium putabimus, si aliqui hinc prodeant, quorum prudentia & integritas Ecclesiæ & Reip. utilis esse queat; idque ut perficiatur, omni studio & animorum concordia enitemur; illud sedulo acturi, ut quorum cura nobis delegata est, neque ipsimet deesse sibi velint, nostris adjuti laboribus atque consiliis, vitæ integritate & modestia ad optima quæque contendant. Quod ipsum sicuti, quantum in me est, promittere possum, ita de doctissimis Viris, qui hujus laboris erunt socii, sperare non dubito.

BENE-

BENEDICTI BAHRII

DE

MODESTIA ET PROBITATE DISCENTIUM

ORATIO.

Publice habita in Schola Stralesundensi; cum Ampl. Senatus nomine tertiæ curiæ seu classis Moderatori munus suum imponeret. VII. *Id. Octobr.*

cIↃ IↃ c XLIII.

Magnifici, &c.



Ies non sunt ita multi, cum in consessu vestrum amplissimo ex hoc loco verba mihi facienda essent. Quo quidem tempore ut de erudienda in Scholis juventute artibusque tradendis dicerem, non minus loci postulabat ratio, quam istius muneris, cui publice præficiebar. Verum non aliter illud præstare tum licebat, quam ut plurima prætermitterentur, in quibus erudiendi studium & cura versantur. Quis enim infinitas erudiendi rationes horæ spatio satis commode explicare poterit? quas modo temporum suggerunt momenta; modo ingenia discentium requirunt; modo ita oportet attem-

attemperare; ut, quicquid etiam fieri velint (est enim consiliorum varietas) quorum voluntate res geritur, docentium non minus illi prædicent obsequium, quam juventus gaudeat, ad sua commoda erudiendi labores esse accommodatos. Quin & illa, quæ meditatus eram, linguæ quadam celeritate erant festinanda; ne tempus duceretur, & dicendi mora auribus vestris fastidium pareret. Quamvis autem, quæ disciplinarum ambitu continentur, eorum capita in aliud tempus reservari non incommode posse arbitrabar, ægre tamen abstinui à probitatis, modestiæ & Virtutis studio, quo minus de illo etiam pro tenuitate mea quædam afferrem. Etenim valde dissentio ab illis, qui pueros & adolescentes ad Philosophiam Practicam ita rejiciunt; ut dum Latine & Græce discant, non ita frequenter de moribus in Scholis monendos esse existiment: aut si qua morum & pietatis mentio fiat; hanc ad solas confessionum formulas tenendas, istos vero non nisi ad gestus quosdam, quorum in congressu hominum & consortio usus est, referant. Quorum quidem magnam esse necessitatem & utilitatem cum ad fidei capita percipienda, tum ad jucundam & minus agrestem vitæ consuetudinem, nemo negaverit: sed qui his instructus animi probitatem & Dei cultum non negligere sibi videtur, errore ducitur longe perniciosissimo. Certe Ludus literarius non est ejusmodi officina, in qua os tantum discentis informetur, omissis illis, quæ ad animum, mores, vitam denique universam laudabiliter transigendam sint necessaria. Eruditi namque ut evadant, qui in Scholis vivunt, neq; ex æquo omnes

expetunt, neque ita fieri prorsus est necesse. Quis vero suos non velit esse quam optimos & beatissimos? nisi qui ita est affectus, ut pro iisdem habeat turpia & honesta, eaque demum optima judicet, quæ ad solas opes & divitias aditum præparent. Quam judicandi perversitatem bonus quisque non tantum aversatur, sed contra ad virtutem & probitatem omnia studia esse referenda, vel sua sponte fatetur; tum demum Respub. beatas fore ratus, cum prudentia, virtus & modestia eas regere incipiant, aut qui regant, illarum amore duci. Sed quæ spes esse poterit horum omnium, nisi à teneris unguiculis eorum cura suscipiatur, & nascenti malo dum recens est, neque radices altius egit, salutaria quærantur remedia? Frustra ab adultis exspectamus, quod in pueris est neglectum: usus enim & peccandi consuetudo, nisi tempestive obviam eatur, plerumque impediunt, quo minus præceptis & admonitionibus postea relinquatur locus. Ligna ubi carie exesa vigorem amiserunt, franguntur potius quam flectuntur: idem plerumque solet accidere adolescentibus, quorum ingenia postquam in pravum induruerunt, difficillime omnium corriguntur. Quare puerorum & adolescentum ætas minime videri debet tam infirma, quin quid rectum pravumque sit, cognoscere queat; tum vel maxime ad probitatem erudienda, cum simulandi artem nondum didicerit. Neque etiam dubito, quin præcipientibus interdum haud ita ægre sint obsequuturi, modo gravitas morum, indignandi ratio temperata, & vitæ sanctitas salutaribus monitis fidem concilient. Etenim hoc facto discipulus, nisi plane

sit

ſit ex agreſtium numero, eorumque qui omnem verecundiam ejurarunt, tandem aliquando animadvertet, Magiſtrum ita eſſe affectum, ut nec habeat vitia, nec ferat; idemque in aliis prudenter & modeſte efficere ſatagat. In præſentia igitur, quando novus Collega ad ſuſcipiendas Scholaſtici muneris partes conſtituitur, & pro conſuetudine aliquid eſt dicendum: hoc argumenti genus deligere volui, plane perſuaſus, Viri omnium Ordinum honoratiſſimi, futurum, ut mihi de modeſtia & probitate adoleſcentum ac puerorum verba facturo benevolas aures accommodetis. Id quod pluribus, & prolixiori veneratione nunc rogarem, ſi vel leviſſima nuper dubitandi cauſſa mihi à vobis eſſet relicta, aut verborum blanditiis capi vos arbitrarer. Quid ſit modeſtia, & quam neceſſaria illa, cum in omnibus omnium ætatum & ordinum hominibus, tum in pueris & adoleſcentibus, non magnopere diſquirendum puto. Ipſum namque vocabulum quid ſibi velit, nemini obſcurum eſſe poteſt, qui paullo propius originem illius, & ſignificationem conſideraverit, quam, cum naſceretur, nacta eſt. Qui Moralis Philoſophiæ præcepta tradunt, illis Modeſtia eſt Virtus, qua quis in mediocribus honoribus ſic ſe gerit, ſicuti decet & honeſtum eſt; ita ut neque ambitioſe illos quærat, neque ſordide nimis & humiliter averſetur: tantumque illis diſtat à Magnanimitate, quantum à Magnificentia Liberalitas. Quæ quidem virtus, quod ex Ariſtotele cognoſcimus, apud Græcos nomine ſuo caruit: unde exceſſuum & defectuum nomina ei tribuebantur, cum ἀφιλότιμοι dicti, quibus mens tam

 gene-

generoſa, ut honorum dulcedine non caperentur; φιλότιμοι qui honeſtā illos conſequendi rationem non omiſerunt. Stoici quam dicunt εὐταξίαν & εὐκαιρίαν, utramque Modeſtiam appellare non dubitat Cicero. Etſi vero hoc nomine appellatur cum Virtus illa, quæ in honoribus expetendis verſatur vel fugiendis; tum iſtæ quæ efficiunt, ut ſuis quæque locis agantur & dicantur, ratioque habeatur oportunitatis idoneorum ad agendum temporum, non tamen propterea ampliorem ſuam ſignificationem amiſit, quæ modum innuit in omnibus rebus: ne quid liceat impotentiæ animi, temeritati, libidini aliiſque vitiis, quæ tranſverſas agunt hominum mentes, ut vel dedita opera non videant, quid factu ſit optimum; vel ſi maxime videant, appetitus in rebus fugiendis & expetendis rationi adverſetur. Et hanc Virtutem, quæ tam late patet, ut nulla pars vitæ neque publicis neque privatis in rebus illa vacare poſſit, ubique adhiberi in vita humana, & Reipub. communiſque ſalutis intereſt, & ſingulorum. Quod ipſum animadvertimus, ſi illa cogitatio animum ſubeat, immoderatas quorundam cupiditates plus damni & mali Rebuſpub. attuliſſe, quam multorum ſpectata prudentia potuerit avertere. Magnus ille Pompejus, qui antiquitatis memoriam Virtute ſuperaſſe publice dicebatur, quid effecit, ut poſt tot bella tam feliciter geſta, poſt tot hoſtes devictos, poſt tantam triumphorum gloriam in ſuam ipſius perniciem & Reipub. interitum eſſet ſuperſtes, niſi immoderata mentis agitatio? quæ tanta erat, ut æqualem dignitate conſpicere non poſſet. Hinc tot ac tanta mala in Remp.
Roma-

Romanam invecta; hinc atrocissima bella, quæ cum civilia essent, triumphis carebant; hinc cruentissimus ille dies, qui Pharsaliæ campos civium sanguine commaculabat. Cujus calamitatis expers esse Roma potuisset, si modestius aliquanto Pompejus Socero suo didicisset invidere. Neque vero felicius egit C. Iulius Cæsar; qui majorem ferre non poterat, sicuti nec gener parem. Paullo enim post quam in urbem venerat, & immoderatius aliquanto imperare videretur; nihil erat reliquum, nisi ut multis vulneribus confossus Bruti aliorumque dextra periret. Romanæ etiam eloquentiæ parentem nihil aliud perdidit, quam immoderatus linguæ usus. Etenim nisi nobiles in Antonium orationes inviso & alieno titulo inscriptas, impatienter nimis profudisset, nunquam esset futurum, ut vel capite suo rostra, in quibus ante floruerat, cruentasset; vel Rempub. tam misere lacerasset funesta illa proscriptio. Utinam vero posteris temporibus idem malum Resp. & imperia non infestasset. Quomodo Ecclesiam afflixerit immodestia Pontificum, Patriarcharum, Episcoporum, aliorumque quibus cura sacrorum commissa; mallem oblivisci me posse, ne istarum rerum cogitatio dolore afficeret recordantis animum. Initio quidem, cum Christianum fieri nihil aliud esset, quam semetipsum, uti ait Tertullianus, de Seculo exhæredare; & opum divitiarumque cupiditates reprimeret illibatus amor Servatoris & persecutio publica; minus laborabat Ecclesia illis vitiis, à quibus avaritia & ambitio præsidia petunt. Post ubi fraternum nomen una cum reipsa interire, aut vis illius pravitatis vitio deperdi cœ-

perit; plurimos Pace constituta fidelium cætui aggregavit non Religionis amor, sed spes commodorum; Quæ facilius fuit sectari sanctissimum nomen professis, postquam Pagani, uti pauciores ita & odiosiores, eodem loco esse cœperunt, quo antea fuerant Christiani. Indignum proinde videbatur pristinos conservare mores, & sancte vivendi consuetudine puram custodire conscientiam; Quod imbecillium hoc esse crederetur, qui viribus ad nocendum destituti non possunt non esse iunocentes. Idem igitur eveniebat illis, quod posteris Iacobi; qui Conditoris curam fastidientes ad instar vicinarum gentium Regem sibi expetebant, non minus in suam ipsorum perniciem, quam in contemptum Cælestis & Potentissimi Ducis, qui vel nutu securam præstare poterat tutelam. Recens erat apud eos qui nuper ad Ecclesiam accesserant, gentilium dignitatum & mundani splendoris memoria; omnes vero bonam mentem ut susciperent vel retinerent, fieri propter multitudinem non poterat. Crescere itaque cœpit paullatim cum opibus potentia, præcipue in illis, qui cæteris erudiendis præesse volebant; quæ res cum in ipsis Christianis desideria tantæ felicitatis, uti credebatur, excitavit; tum Paganos ad Christianorum Religionem amplectendam pellexit. Unde Prætextatus quidã Damaso antistiti ludens confirmabat, se protinus fore Christianum, si urbis futurus esset Episcopus. Cumque in eum locum deducta esset res Christiana, ut tantam vanitatem suspiceret imperita plebecula, fascinata jam publica pravitate & errore, suoque malo nimis credula; congestæ sunt in immensum divitiæ,

tiæ, & ad ſanctiſſimi nominis reverentiam tantum non plane abolendam adjumento fuit inconſiderata benignitas. Acceſſit Barbarorum tanquam repentina ferarum aliqua multitudo, quorum impetu cum longe lateque laceraretur Occidentis imperium, multorum intererat in turbida, quod ajunt, aqua piſcari. Omnia ſibi tandem vindicavit ambitio & amplificandæ dignitatis ſtudium; cui rei fruſtra deinde remedia adhibere conati ſunt, qui tot annis diſſenſerant, Primatus fortean, quod multis uſu venit, majori cupiditate, quam Antiſtitis odio. Sed & inter ipſos qui iiſdem temporibus voluerunt in eadem ſede ſummas tenere, quæ diſſidia! quantum turbarum! Alii vehementius concupiſcebant, alii invidebant acrius, alii periculoſe inſidiabantur; nec defuere qui armis rem gerendam eſſe rati perire maluerunt, quam quibus nollent, imperium relinquere. Neque horum cupiditate & immodeſtia terminari potuit hoc malum, ſed ad inferiores quoſque Eccleſiarum Præfectos iſta lues dimanavit, tamdiu horrida & inviſa aliis, donec eadem audendi nacti fuerint occaſionem. Quam vero inde ab ipſis incunabulis turbarunt Eccleſiam immoderati quorundam animi vel ſparſis hæreſibus vel ſublata præter cauſam concordia, Veterum ſcripta nos docent. Quæ omnia tanto expeditius perficere potuerunt ejuſmodi indolis homines, quo magis, uti Cyprianus ait, modeſti tacebant, timebantque conſcii. Minus certe, quod non dubito, moleſtiarum ab omni ævo Eccleſiam infeſtaſſet, ſi immoderata cupiditas vinculum illud Chriſtianæ ſocietatis, caritatem non ita turpiter rupiſſet, & quod neque viribus præ-

ſtart

ſtari poterat, neque alia ratione parum frugifera, id prudentum virorum pertentaſſet modeſtia. Juxta igitur cum hac Virtute, qua procul habita, innumeræ calamitates Eccleſiam & Reſpub. opprimunt, quomodo Probitatis amor atque ſtudium animis adoleſcentum ingenerari poſſe videatur, quæque illa impediant, inprimis conſideratione dignum puto. Etſi enim non plane deſperandum eſt, & illos ad frugem pervenire poſſe, quorum ingenia male agendi conſuetudo & uſu jam confirmata improbitas corrupit; tamen pleriſque hoc accidit, ut tales eorum ſint animi, mores, vita denique omnis, quales illos puerilis educatio reddidit, & adoleſcentiæ inſtitutio. Cujus curà quia multis ſimul incumbit, neque ad unum etiam pertinet vel culpa, ſi perperam; vel gloria, ſi prudenter hic actum. Equidem ea eſt hominum natura, ut unuſquiſque gloriam cum aliis ſibi communem ad ſe ſolum rapiat; culpam vero cujus & ipſe eſt particeps, omnem in alios conferre magnopere ſtudeat. Hinc adoleſcentes, ſi quando iſta eſt eorum felicitas, ut reſipiſcere poſt errores incipiant, quicquid primis annis neglectum aut aberratum, minime ſua, ſed vel parentum vel Præceptorum culpa factum videri volunt. Parentes quia affectu prohibentur, ne filios arguant ignaviæ, contumaciæ & improbitatis, Præceptorum hoc vitium eſſe contendunt. Neque hi quicquam malunt de ſe putari, quam nihil admiſiſſe, quod ſit reprehenſione dignum. Sane ſi votis eſſet locus, optarem non tantum alios, qui erudiendi munus ſucipiunt, ſed & meipſum imprimis eum eſſe, cujus vita potius & mores teneram ætatem & lubri-

cam

cam adoleſcentiam informarent, quam ſermo & monita; cujus ſanctitas improbitatem coërceret diſcentium; cujus frugalitas & continentia luxum eorum reprimeret & cupiditates; cujus integritas & lingua fallere neſcia dolos prohiberet, & mentiendi inverecundiam; cujus labor & aſſiduitas ignaviam diſcuteret; cujus gravitas ferociores à licentia deterreret: denique qui quæ doceat præcipiendo, ita confirmaret faciendo, ne fides præceptis detraheretur, neu vita dirueret quæ verbis adſtruuntur. Sed, quod ſapienter ait Seneca, non tam bene agitur cum rebus mortalium, ut meliora pluribus placeant. Etenim ne mea ipſius vitia diſſimulē, ſi quibus ſim obnoxius, aliter interdum fit à nobis, qui in Scholis vitam tranſigimus, & æque laboramus ut honeſte vivatur, quam ut optime diſcatur. Alii ſordida quadam vivendi ratione impedimus adoleſcentes, ne humanitati aſſueſcant; tanquam civilitas à Scholis exſulare debeat, & animi quædam ſit fiducia, loquendi inverecundia, & morum immodeſtia. Alii tum demum de honeſtate, & officiis præcipimus, cum ex alterius Virtute utilitates quaſdam nobis comparari poſſe putamus. Alii indignandi frequentia id efficimus, ut ludibrio ſit ſæpius iterata objurgatio: quam moroſitatem & iraſci conſuetudinem non illepide quidam à nobis jocabatur inde contractam eſſe, quod toties legeretur primus Homeri verſus: Μῆνιν ἄειδε θεά. Alii neque meliores reddere poſſumus pueros, cum ipſimet ſimus improbi, neque literatiores ipſi illiteratiſſimi; à diſcipulis interim requirentes officium, cum quæ Doctoris ſunt, non præſtemus. Alii virgas ita vibramus,

& ferula sævimus, ut multi à studendi proposito fugentur, & nihil minus consequamur, quam discipulorum obsequium. Profecto non memini me Roterodamensem Erasmum iracundiorem usquam in scriptis suis deprehendisse, quam cum eam ob caussam in nos inveheretur. Plura etiam fortassis reperiet curiosus scrutator, cui non injucundum est, exquirere vitia, quibus Scholastici labores corrumpantur. Nos certe ingenuus candor adeo non destituit, ut vel vitia nostra celari velimus, vel quod usitatius, humana imbecillitate aut aliorum improbitate excusari. Neque vero est, cur parentes aliique existiment, hinc sese nactos, quod suæ perversitati, stulto amori & liberorum contumaciæ prætendant: Potius id agimus, ut emendandi studium in omnes partes sese diffundat; neque eodem animo & indole propter multitudinem omnes Magistri esse credantur. In Scholis non puto quemquam plus posse proficere, quã qui omni studio enititur, ut à pueris & adolescentibus ametur: & hoc non tam indulgentia perficiendum putat, quam laboris assiduitate & erudiendi prudentia, qua eo magis opus est, quo altiores recessus, majoresque latebras habet juvenilis ætas. Ad fiduciam ita sunt assuefaciendi, ne in audaciam illa degeneret, quæ plus nocet quam subtimida modestia: ista enim ægre cohibetur adultioribus annis, quando pro generosa quadam animi virtute fallit; hæc vero accedente rerum peritia, & prudentum atque eruditorum contubernio in liberalem verecundiam paulatim desinit; quæ ad vitæ humanæ societatem est maxime idonea. Nihil proferendum, nisi

quod

quod prodesse queat; ne quid discatur, quod nescisse fuerit rectius. Non ante cesset declarandi industria, quam cognoscatur, probe percepisse auditores, quæ vel in auctorum interpretatione occurrunt, vel in sermone nostro; neque propterea orationem sine caussa sæpius interrumpi necesse est exquirendi frequentia. Vultus discentium ita potest componi, ut rerum, quas docentur, intellectu lætari; vel obscuritate offendi sese ostendant: quod olim in Ecclesiasticis concionibus publice factum ex Augustino cognoscimus. Illud ostendendum, nihil majorem nobis afferre jucunditatem, quam diligentiam & probitatem; Quod obscurum esse nequit, si propter illa tenuioris fortunæ adolescentes, à quibus lucri quicquam sperare non licet, tanto prosequamur amore & benevolentia, ut commoda eorum vel nostris facultatibus, vel aliorum benignitate adjuvare studeamus. Propter neglectas operas tum inprimis indignandum, quando non tam ingenii imbecillitate, quam contumacia & affectata ignorantia peccatum intelligimus. In emendando acerbitatem & contumeliam, quantum fieri potest, fugiendas esse non immerito censet Fabius. Tristis austeritas non minus est cavenda, quam dissoluta comitas: quandoquidem altera odium, altera contemtum pariat. Mentiendi licentiam omni contentione auferre decet, ita quidem ut nunquam in vita vel mentiamur ipsimet, vel alium propter utilitates nostras mentiri velimus: rarius certe peccabit, cui religio est delicta inficiari. Mirum verò quantum prodest ad emendandos hominum animos, si, quando alienis pec-

catis noſtra commoda adjuvari queant, his carere nos malle oſtendamus, quam committere ut alius propter noſtrum emolumentum perperam agat. Plurimus de honeſto ac bono ſermo ſit, iterum ait Fabius; nam quo ſæpius quis monuerit, hoc rarius caſtigabit. Videndum autem ne de illis Virtutibus ſæpius verba faciamus, quæ ad noſtra commoda potiſſimum pertinere credantur. Etenim qui de gratitudine & reverentia toties pręcipit, ad ſuas utilitates & privatam auctoritatem referre iſta putabitur; quamvis hanc conſervari propter diſcentium ſtudia magni intereſt, & illas minime negligi propter victum & cultum. Denique illæ opiniones teneris puerorum & adoleſcentum animis inſtillandæ, primum omnium maximumque eſſe, ut boni viri ſimus, idque voluntate inprimis conſtare; quam qui vera fide induerit, facile eum accipere illas artes, quæ virtutem docent ac pietatem: non ita multis opus eſſe ad vitæ honeſtæ beatæque inſtitutionem; longam reddi hanc operam noſtra ipſorum negligentia & repugnantia: volentibus non difficile eſſe meliora diſcere, ut mirum pene ſit, malorum tantam eſſe multitudinem, cum facilius multo ſit, & minus periculoſum ſecundum virtutem vivere, quam libidini, avaritiæ, ambitioni & voluptatibus indulgere. Quia vero non ſatis eſt à Magiſtro probitatis & modeſtiæ rationem ubique haberi in vita, & adoleſcentum animos ad Virtutum ſtudia ſalutaribus præceptis ita duci, ut ad vitam illis utendum eſſe doceantur, non ad oſtentationem; diſciplinæ etiam ſeveritate mores diſcentium regendi ſunt & poenæ interdum irrogandæ, ne

ignoſcen-

ignoſcendo malis boni etiam perdantur. Peſſum oportet ire omnia, ubi iſta negligitur vel propter invidiam & odia quæ metuuntur; vel propter commoda, quæ, ſi remiſſius agatur, ſperare liceat. Si qua ineunda eſt à diſcipulo gratia, malo ita mereri, ut eo demum tempore gratias mihi deberi ſentiat, quo per ætatem bonum à malo diſcernere, & quæ in adoleſcentem profecta, de iis Vir factus recte judicare poſſit. Minime vero illud futurum, ſi quæ puerili ætati aut juvenili laſciviæ jucunda accidunt, ita fieri permittamus, ut quod ab adoleſcentibus primum manſuetudini noſtræ tributum; deinde ubi ad maturam ætatem perventum, noxiæ indulgentiæ imputetur. Equidem virgas atque ferulas omne genus vellem è Scholis poſſe removeri, & illam coërcendi rationem ubivis obtinere locum, modo hinc abeſſet: neque enim injucundius quicquam Præceptori accidere poteſt quam inter ejulatus & virgarum ſuſurros officio fungi. Sed in tanta morum licentia & ingeniorum laſcivia aliter fieri non poteſt, niſi prorſus amitti velimus illud, quod quoquo modo conſervari debet. Verum prudentia quadam hic opus eſt, ne ultimum illud, quod quidem in Scholis adhiberi poteſt, remedium vileſcat; & cædendi neceſſitas in puerorum ingenia ita transferatur, ut non niſi conciſi emendentur. Permagni intereſt ita remunerari probos, & puniri delinquentes, ut hi literas odiſſe ne incipiant, antequam amare poſſint, iſtos vero ſecuritas ne perdat. Animadvertat diſcipulus, ægerrime omnium hoc emendandi modo Magiſtrum uti; non ut ſpe impunitatis prævaricari perſeveret, ſed pudore

dore victus, si quid in eo liberalis ingenii reliquum; æque invitus delinquat, quam Magister puniat. Quod ipsum ut efficiant, quibus adolescentum & puerorum cura delegata est, cum serveritate mansuetudinem conjungant oportet; sine contumelia castigent, & iram quam maxime prohibeant, si quando ad pœnam est accedendum. Hoc enim si fecerint, minime dubitandum, salutarē fore disciplinam; quippe quod illi, qui puniuntur aut reprehenduntur, animadversiones non ad ejus qui punit aut reprehendit, sed ad suas utilitates referri perspiciant. Sed fac tales nos esse, qui in Scholis laboramus, quales omnium maxime ipsi optamus; bonos, doctos & prudentes, ab avaritia alienissimos, honestatis, Virtutis, urbanitatis & modestiæ amantes, ad laborem assiduos, vitam denique omnem ita transigere, ut optimus quisque nos deligat, quorum consuetudine fruatur, & mores imitetur. Quid quæso dicemus de domestica consuetudine & educatione, quid de immoderata parentum indulgentia & præpostero erga liberos amore. De aliquibus nunc loquor, quos ubique reperiri, nemo qui rebus humanis interesse cœpit, puto, inficiabitur. Quicquid severitatis ad disciplinam conservandam & compescendos improborum animos in Scholis adhibetur, illi intempestiva indulgentia domi relaxant; male suis consultum existimantes, nisi amorem stulta quadam ratione ubique ostendant. Quæ omnia quantopere adversentur legitimæ educationi, prudentiores intelligunt parentes: qui quo impensius liberos suos diligunt, eo diligentius amorem occultant, ne illi plus justo

justo sibi licere, & propter delicta minus metuendum existiment. Id quod eo acerbius accidit res humanas consideranti, quo minus ad publicam salutem tuendam vel recuperandam inde habentur auxilia unde exspectari fas esset. Certe in ea incidimus tempora, ut quæ à majoribus liberaliter donata sunt, vel ad sublevandas necessitates publicas impendantur, (quod tolerabile esset, si præter illa nihil suppeteret ad avertenda incommoda) vel eorum inserviant cupiditatibus, ad quos cura potius pertinet, quam qui inde percipiantur fructus. Si quos præterea ad bene merendum impellit gloriæ cupiditas aut pietatis amor, raro admodum ad Ecclesiam & Remp. inde redundat aliqua utilitas. Etenim cum ipsi ingenia discernere nequeant, aut non diu sint superstites; illis interdum relinquitur hujus rei cura, qui posthabitis emolumentis publicis ad sua suorumq; commoda transferant laudabilem quorundam benignitatem. A cujus usu cum excludantur, quorum præ cæteris spectata est probitas & industria, frustra sunt, qui ex iis agris sperant fructum, qui in spem longe aliam colantur. Reliquum est igitur ut ab illis potissimum optima quæque nobis promittamus, quibus tantum est in re familiari, ut quo minus solidam consequantur eruditionem, nulla obstet egestas; eo vero sunt animo, ut quæ præstare possint, nulla ignavia aut aliarum rerum cupiditate adducti omittere velint. Verum quid tandem sperare licebit, si & hanc spem nobis præcidat quorundam noxia non tantum indulgentia, sed & mollior liberorum cura. Quid efficiet Magister præceptis tolerantiæ tradendis,

dis, si ægre ferant parentes, quoties durius aliquanto puer recumbat? Numquid voluptates fugiet, cujus corpori ne quid grave sit, ultra modum providetur? Quarum rerum quæso desideria æquo animo is feret, cui ut omnia, quæ expetat, semper sint parata, tanto studio efficitur? At, inquiet aliquis, parum ista conveniunt parentum & majorum dignitati, quam tueri filius minime potest, si quid illi cum pauperibus & egenis commune: Quod si necessitates quædam ingruant, abundat omnibus quibus levari istæ possint; acerbum vero videtur illis rebus assuefieri tenerum adolescentem, quas ut unquam in vita sustineat aut suscipiat, fortassis minime futurum. His quidem ne respondeam, nulla ratione melius paternam posse conservari gloriam, quam qua primum parta est, neque celerius amitti, quam quoties ab ista receditur, Virtute scilicet, quæ summa in patientia rerum adversarum ponitur. Quotocuique vel ad vesperum usque exploratum est sese felicem fore, nedum semper fortunam habiturum fautricem? Parum equidem suæ securitati consulere arbitror, qui non ante cogitat de propugnaculis exstruendis, de milite cogendo, de annona comparanda, quam cum hostis omnes obsideat aditus. Merito arguitur illius Medici imprudentia, cui non omni tempore ad depellendos morbos in promtu sunt remedia. Non aliter sese res habet in Vita humana; varios illa habet casus, quos nemo neque secure exspectat imminentes, neque præsentes forti excipit animo, nisi quem roboravit non infrequens adversa tolerandi exercitatio. Quæ sicuti ad omnem ætatem suo quodam

modo

modo pertinet, ita nulla esse potest, si id agatur, ut nunquam corpus adolescentis afficiant, quæ sensibus parum accidunt jucunda. Quibus aliud videtur, plerumque malam à filiis suis tandem inire solent gratiam; cum, quoties confligendum est cum fortuna parum prospera, vel victi manum turpiter dare, vel fœdiori fuga salutem petere cogantur. Ad vitia parentum & domesticorum deinde veniamus oportet; quorum intuitu depravati filii meliores esse non possunt illis, quorum consuetudinem imitari pietatem & obsequium esse judicant. Malunt quidem parentes videri non nisi optime consulere liberis suis, eosque ad virtutem & honestos labores condocefacere: Verum si ex illis, quæ fiunt, præcepta concipiantur, & actiones pro exemplis habendæ; filios suos, contra quam Ascanium Aeneas, complures ita affari non injuria quis existimet:

Disce puer fortunā ex me vanosq; labores;
Virtutem ex aliis.

Ideoque toties licet Magister de integritate, virtute & modestia publice præcipiat, nihil proficiet, si doli, fraudes, avaritia, vitia omne genus, & immoderata vivendi ratio domi corrumpant, quæ in Scholis optimo consilio ad probitatem ingenerandam fuere tradita. Domestici enim & familiaris contubernii sicuti tanta vis est, ut probi parentis sedula cura & providentia non raro plus valeat ad corrigendam pueri indolem, quam improbi Magistri vitia, si cujus in disciplinam incidat, ad illam pervertendam;

ita etiam parentum vitia & indulgentia lubricam ætatem quam maxime ſubruunt, quantumvis ſaluberrimis aliorum monitis ſit erudita & exemplis fulta. Egregie Satyricus, cum huic argumento integram impenderet Satyram, maximamque teneræ ætati reverentiam deberi aſſereret, omnibus illis quæ dictu viſuque fœda, à liminibus prohibitis, intra quæ puer eſt;

Velocius, *inquit*, & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeant animos auctoribus. unus & alter
Forſitan hæc ſpernant juvenes, quibus arte benigna
Ex meliore luto finxit præcordia Titan;
Sed reliquos fugienda patrũ veſtigia ducũt,
Et mõſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Prudens & caſtiſſimus erudiendæ juventutis Magiſter Fabius Quinctilianus maxima inde in Scholas mala derivari jam ſua ætate conqueritur, quod nimia parentum indulgentia & domeſtica vitiorum exempla rectam educandi rationem evertant. Cujus verba recitare non alienum exiſtimo; neque enim melius illa dici poſſunt, neque ad mores noſtros accommodatius. Utinam, ait, liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis

ciis solvimus; mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris puer repit? Nondum prima verba exprimit, jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Ante palatum eorum, quam mores instituimus. In lecticis crescunt; si terram attigerint, è manibus utrinque sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentius dixerint; Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu & osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt; Convivia ebriosorum obscœnis canticis strepunt, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura: discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse. Inde soluti & fluentes non accipiunt è Scholis mala ista, sed in Scholas afferunt. Ita quidem Fabius. Quæ omnia aliaque quamplurima Scholas & Gymnasia tam invisa reddunt, diffitendum enim non est, ut optimi parentes horreant interdum eo mittere pueros, unde plus damni metuendum in vita, quam commodi expectandum in literis. Quorum equidem ratio prorsus improbanda non est, si quidem major debet esse cura, ut honeste vivatur, quam ut vel optime discatur. In turba enim, quæ plerumque nihil est aliud quam sentina vitiorum, teneram ætatem ad pejora exemplis duci, utinam falso jactaretur. Verum neque illud dissimulare possum, domesticos informatores interdum simulata virtute & doctrina, ruditatem & vitia sua occultare, donec fidem inveniant apud viros harum rerum non satis intelligentes; disciplinæ vero conservationem non magis securam in-

 ter

ter malos ſervos & impudicas ancillas; ita ut domi quandoque nos opprimat, quod foris metuimus. Sed revertimur ad parentum educationem, & multorum vivendi conſuetudinem, in qua juvenes enutritos ſæpe ad peſſima duci diximus. Non tam rudes & rationis expertes eos credo, quin meliora perſpiciant; ſed quæ eſt natura hominum in vitia proclivis, non modo cum venia, ſed etiam cum ratione peccare volunt videri: ideoque à fragilitate humana excuſationem petunt, & ſpem impunitatis parum pie interdum confirmant ſummi numinis ad ignoſcendum facilitate, falſo perſuaſi, rerum ſuarum curam non permittere ut aliter vivatur; quod, ſi veritatis ſemper ſit habenda ratio, res familiaris videatur negligenda, quæ mendaciis & ſimulandi calliditate non raro augeatur; ſi integritas ſervanda, multis commodis ſint carituri, quæ dolis & decipiendi arte comparentur; &, ut paucis dicam, omnino credant, nihil utilitates ſuas plus impedire, quam pietatem & honeſtatem. Quæ quidem opinio ita pervagata eſt, ſurgentibus quotidie novis criminibus, nec veteribus repudiatis; ut tanto prudentiores nos eſſe credamus, quanto ſimus pejores; & qui contra vel hiſcere audeat, novitatis titulo quam maxime ſit ſuſpectus. Veremur enim ſolicitudine pluſquam noxia, ne in divinam clementiam injurius ſit, qui credulitatem ſine obſequio nullam eſſe contendit; idque cavendum judicat, ne ignominia afficiatur is, cujus nos profiteamur cultores. Verum ne quid dicam de ſanioribus gentilium, quorum non exiguus eſt numerus, mirum quantum ſententia illa & agendi ratio à conſuetudine veterum

Chri-

Christianorum discrepat. De illis loquor qui propius aberant ab Apostolorum temporibus, nondum obliti, qualis sub illis credentium vita fuisset, aut semper esse deberet; propterea felices, quod eruditionis arrogantia, & hanc secuta curiositas, ambitio dignitatum, & fallax superstitio minus, quam paullo post fieri cœpit, Ecclesiam infestasset. Apud disertissimum Minucium Felicem confirmat Cæcilio Octavius, Christianos pudorem non facie sed mente præstare; convivia non tantum pudica colere, sed & sobria; neque enim indulgere epulis, aut convivium mero ducere; sed hilaritatem temperare gravitate, casto sermone, castiore corpore. Innocentiam & modestiam, signum esse quo se dignoscant; mutuo amore, id quod gentiles etiam doleant, diligere, quod odisse non noverint; Deum in pectore potius consecrare, quam in delubris, neque aliam offerre hostiam, nisi bonum animum, puram mentem & sinceram conscientiam. Omnino arbitrari illos, qui innocentiam colat, supplicare Domino; qui justitiam, Deo libare; eumque propiciare, qui fraudibus abstineat; & opimam cædere victimam, qui hominem surripiat periculo. Hæc esse Christianorum à Gentilibus admodum diversa sacrificia, hæc Dei sacra; ita ut apud eos Religiosior ille, qui justior. Negat Tertullianus, tantos discipulos invenisse Paganorum dicta, quantos Christianorum facta. Non verbis illos esse Philosophos, ait Cyprianus, sed factis; non sapientiam præferre vestitu, sed veritate; virtutis potius conscios esse, quam jactare illam; nec loqui magna, sed vivere. In congressibus & conventiculis

eorum negat Arnobius audiri quicquam, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos & familiaris rei communicatores. Quanto quis justior, ait auditor illius Lactantius, tanto sublimiorem judicari, & cælesti beneficio ita familiarem Christianis esse hanc virtutem, ut illam non nomine sed re noverint; neque verbis modo, sed etiam exemplis ex vero petitis, vera esse quæ ab illis dicantur, ostendi: divitias vero & opes fraudibus atque injuria parare tam alienum esse eorum moribus, ut nesciant lucrum appetere, sed victus illis sufficiat. Cujus generis plura posterorum memoriæ produnt Scriptores illi, quando adversum gentes Christianam propugnant Religionem. Neque est, cur domesticum testimonium parum hic valere credamus; ipsi gentiles, qui acerrimo odio Christianos prosequebantur, huic rei fidem faciunt. Imperator Alexander Severus adeo dilexit illam sententiam: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, ut in palatio & in publicis operibus præscribi juberet. Si quis militum de via in alicujus possessiones deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi; aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis, cum diceret: Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? per præconem etiam, cum aliquem emendaret, hæc eadem dici jubebat. Ista vero à Christianis eum audivisse & tenuisse, testis est Ethnicus scriptor Lampridius, qui de vita illius est commentatus. Egregium vero est inprimis C. Plinii testi-

testimonium, qui cum per literas Trajani Imperatoris consilium expeteret, quid sibi faciendum in cognitionibus de Christianis; hanc summam fuisse scribit vel culpæ eorum vel erroris, quod stato die ante lucem convenire essent soliti, carmenque Christo tanquam Deo secum dicere invicem, & sacramento se obstringere non in scelus aliquod, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent; ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; idque sibi affirmasse, qui quondam Christiani, defectionem essent testati, imaginem Imperatoris Deorumque simulachra venerando, & Christo maledicendo. Utinam & nostris temporibus magna esset ejusmodi conjuratorum turba: neque enim puto, inde metuendum esse, ne quid Resp. detrimenti capiat. Sed priscorum innocentiam, & quomodo postera secula vel hæreseos, vel superstitionis, vel ambitionis, avaritiæ & improbitatis veneno infecta, ab illa degenerarunt, pluribus persequi nunc nihil attinet; ex illis vero quæ modo dixi, non obscurum esse arbitror, vanas esse excusationes, quas vitæ consuetudini non pauci ex illis, qui nunc vivunt, prætendere haud verentur; quasi aliter vita transigi nequeat. Etenim quis fieri posse negabit, quæ olim facta legimus, & adhuc fiunt ab illis quibus maxima cura est, fidem quam Deo dederunt, pietate, morum & vitæ innocentia præstare, quique ad se pertinere putant, exemplo suo cum alios, tum inprimis ex se natos in via virtutis tenere. Vobis vero, studiosi adolescentes, ad vos enim potissimum hæc spectat oratio: cum non tam illud enitimur, ut ad alios relegato crimine Præ-

ceptor

ceptor & Schola à vitiis prorſus abeſſe exiſtimentur, quam ut ab omnibus ſaluti & commodis veſtris, adeoque univerſæ hominum ſocietati per vos conſulatur: Vobis inquam nihil proderit, quicquid etiam aliis peccatum, ad excuſationem negligentiæ & improbitatis. Non purgabit vos parentum indulgentia, poſtquam quæ ab illis fieri debuerunt, pernoſcere cœperitis; neque vero ut mores veſtri perderentur, illi indulſerunt; ſed ut molliter tractati obſequio poſtea rependeretis hanc, quæ talis putatur, benignitatem. Videndum erit, ut amor eorum per errorem plus damni vobis ne attulerit quam commodi; & pudor revocet in viam, quibus exorbitandi poteſtatem nimia fecit licentia. Ita neque vos in perniciem convertetis parentum ſtudia, neque illis dolori erit amori nimium indulſiſſe; quem quidem omni tempore moderari, haud ſcio an omnium ſit difficillimum. Quod ſi ab illis aliiſque quorum cura aut conſuetudine uti contigerit, quædam committantur à virtute & honeſtate aliena, non quid faciant iſti, ſed quid fieri debeat, conſiderandum eſt. Equidem non dubito, quin cui plures nati ſunt filii, illum minus amet, quem maxime omnium à ſuis moribus diſſentire videat. Sicuti enim conſenſu nihil eſt firmius ad benevolentiam inter homines conſervandam, ita cultui quem nobis debet, detrahere aliquid judicatur is, qui diſſidere audeat; & crimen exprobrare, qui diverſam teneat vitæ conſuetudinem. Verum neque illud ambigo, filiorum conſtantia tandem moveri parentes, ubi animadvertant non contumaciæ tribuendam eſſe morum illam diſſimilitudinem & voluntatum diſcre-
pantiam,

pantiam, ſed pietatis ſtudio. Id quod tanto celerius futurum, quanto magis in aliis rebus obſequendi deſiderium ita declarabit filius, ut reliquos longo intervallo poſt ſe relinquat. Etenim hoc facto fieri non poteſt, quin parens non modo falſas ſuccenſendi ſeu minus amandi cauſſas antea habuiſſe cognoſcat, ſed etiam in ſe paullatim damnet, cujus odium in filio tulerit gravius. Et abſque hoc futurum, parentum peccata non efficient, ut ſi eadem faciatis, ubi meliora cum bonorum conſuetudine, tum Magiſtrorum monitis edocti ſitis, delicta veſtra merceantur veniam. Nonne quæſo duplicabitur crimen, ſi quæ male à majoribus accepiſtis, turpius ea relinquantur poſteris? jure aliquando querentur illi; cum quod vitare poteſtis doctrina adjuti, ita à vobis admittatur, ut illis male vivendi ſit exemplum atque auctoritas. Præterea conſuetudinem forte prætenditis, quam imitari tutiſſimum exiſtimetur, neque in devia abduci credatur, qui regiam ſequitur viam. Equidem non minus inde peterem veritatis inveſtigandæ rationem, quam honeſte vivendi normam, niſi jam dudum juberent optimi quique pro ſuſpectis haberi illa, quæ vulgo placent. Iudicabant enim alienum eſſe, ab eo poſtulare virtutis præcepta, qui turpitudinem ne diſſimulare quidem velit; & illum agnoſcere Magiſtrum, cujus judicia ſi probemus, non niſi opinionum inficiamur pravitate. Longe hic alia quam in cæteris itineribus, conditio eſt: in illis rogati incolæ viam monſtrare poſſunt, neque eſt cur ſine cauſſa viator vel dolum metuat vel inſcitiam; eo ſecurior, quo minus de indice dubitare opus habeat.

Verum magna hic eſt diverſitas : ut enim celiberrima quæque via eſt, ita maxime fallit; non quod illam ingreſſi minime pergant, qua cæperint; ſed quod veſtigiorum multitudine decepti nunquam eo perveniant, quo, cum in bivio eſſent conſtituti, tendere præ ſe ferebant. Quanta eſt perverſitas non judicare quicquid agitur, ſed ita credere idem agentibus, ut alienis pereundum ſit exemplis; quaſi felicius ſit cum plurimis ruere, premente populo, quam cum paucis tueri incolumitatem! Quanta denique ſtultitia noſtram conſcientiam, quam recta ratio, ſapientum monita, exempla bonorum, vel quod tutiſſimum omnium, Servatoris decreta informare poſſunt, contemnere, & aliorum errantem aucupari opinionem! Turpe vobis eſt, adoleſcentes, non plus aliquanto ſapere illis, quibus nunquam in animo fuit, ideo ad Scholas accedere, ut errores fugiant & recte vivendi ineant rationes; ut ſeſe regere diſcant, vel quod proximum eſt, admoniti redeant in viam; ut virtutis imbibant præcepta, ad eamque aſſuefacti prudentiam adhibeant in rebus gerendis, cum ad ſuam incolumitatem, tum ad aliorum ſalutem. Illos ſane, quicquid etiam judicare velint, una cum ſuis judiciis relinquere oportet, tanquam Magiſtros ad honeſtatis & virtutis doctrinam nimium ineptos. Contra illud veſtrum erit, ſedulo dare operam, ne propter veſtros mores & improbitatem male audiant optimæ literæ, earumque ſtudia. Vana profecto eſt eruditio, & fallacia oblectamenta, ſi nihil quod ad animum perveniat, à ſtudiis liberalibus petatur. Quæ quidem ſi ita colere libeat, ut omni tempore quid referant illa,

compu-

computetur; curam morum relinqui omnino erit necesse. Solam vero gloriam tanquam vigiliarum & laborum ex literis petere mercedem, aut aliis pro arbitrio nocendi facultatem, haud scio an omnium sit vanissimum & maxime probrosum. Etenim sicuti præclaram doctrinam, quam vitæ integritas & moderata animi constantia decorat, nominis fama ultro sequitur, tanquam umbra corpus suum; ita qui ad gloriam omnia referunt, sua se privant libertate, qua nihil cuiquam debet esse carius: Animi vero viribus & ingenii doctrina sese armare, non ut patriæ salus propugnetur, & afflicti inde petant præsidia; sed ut aliena oppugnentur commoda & hominum societatem freta ingenio malitia labefactare possit; id vero nihil aliud est, quam publice & privatim optimis rebus scelerate abuti, & sapientiam in odium adducere & invidiam. Non isto animo, adolescentes, literis incumbere fas est; non lucro parando, aut famæ captandæ, aut nocendi inservire debent libidini; sed ut erroribus liberati ad nostram aliorumque sapiamus salutem. Quæ si procul habeatur, nihil sanantes literæ haud aliud quicquam efficiunt, quam ut orbem corrumpant ficto nitore. Nulla sunt vestra studia, nisi in eo velitis elaborare, ut quotidie aliquid virtuti accedat: omne illud obsit necesse est, quicquid ita prodest studiis, ut morum negligatur cultus & vitæ probitas. Quid enim juvat de officiis præcepta tradi, si quæ facere deceat, vel nescire velimus, vel omittere? quæ perversitas quanto major est hac ætate, eo minor ad reliquam vitam redundabit inde utilitas. Neque vero convenit existimare, pueris esse scripta,

quæcunque in Scholis traduntur; Aliud agebant Panætius, Tullius & hos imitatus inter Christianos Ambrosius, cum de vivendi ratione præciperent. Dolendum est, Viros Rempub. gerentes interdum optima consilia ideo existimare ab suis institutis aliena esse, quod adolescentum ingenia illis cognoscendis occupentur. Quandoquidem nisi à teneris honesti amorem imbiberint animi mortalium, serius aliquanto virtutis lumen illis appareat; frustra vero omnis impendatur opera, si ad primos annos plane relegemus hanc doctrinam, tanquam reliqua ætas soli avaritiæ & ambitioni vacare debeat. Nunquam neque dives erit sine virtutis detrimento, nisi qui, antequam parentur opes, quomodo citra honestatis jacturam utendum sit, didicerit; neque honores legitime capiet aut è Repub. geret, nisi qui salutariter illis fungendi animum induerit. Cæterum quid juvat de civilitate morum erudiri, si agrestes & immodestos nos esse malumus? Inanis denique labor est, adolescentes, Servatoris nostri d[illegible] cognoscere, aut exemplum intueri, si illi[illegible] hoc imitari recusemus. Fateor mul[illegible] illud c[illegible]nti-bus, ut ne vita sit o[illegible]erbis profitentur; [illegible]it, quot & quan[illegible]quam qui vulg[illegible] tamen propt[illegible]ur, diffi-[illegible]ntia excu-[illegible]curas & co-[illegible]subtractæ vobis [illegible]minum reverentia & alie-

& alienæ conſcientiæ metus non movet, cogitate juſtiſſimum judicem, ſpeculatorem & teſtem omnium, quem non ſolum reſpicere ſed etiam judicare omnia certum eſt. Non minus ille delinquentibus æterna conſtituit ſupplicia, quam probis & officium non negligentibus exſpectata præmia. Grave erit aliquando hunc ita illuſiſſe, ut quæ ad ingenium & animum literis ac virtute excolendum pertinent, precibus quidem ab eo petamus quotidie, ſed ne eveniant, ipſi contumaciter reſiſtamus. Nulla ætas, quam qua nunc eſtis, aptior eſt ad virtutum ſemina recipienda, & vitiorum evellendas radices; quo neglecto, fruſtra adhibentur remedia adverſus illa mala, quæ longa conſuetudine invaluerunt: niſi quis putet frugum maturitatem æque promittere agrū qui alieno, quam qui ſuo tempore conſeritur. Periculoſe errant, [illegible]
vitæ emendationem in poſteros differunt annos, [illegible]
ſpe futurum, ut temporis longinquitas imp[illegible]
minuat vires. Cum recenti malo confli[illegible]
antequam robur accipiat, acriterque re[illegible]
vitiis in mores abeuntibus, & in viri[illegible] que-
ætatem, remedio plane locus eſſe d[illegible]
[illegible]et arbor inſitionem patitur; ſi [illegible], ne-
[illegible]ipere quidem videtur ſurcu[illegible]
[illegible] ſibi conjungit, multo [illegible] dum
[illegible]turam. Vulnera quoque [illegible]
[illegible] ſanguine recentia [illegible]
[illegible]e obducta ſaniem [illegible]
ta ferra & ſcrutan[illegible]
leſtia & dolore [illegible]
poribus agere [illegible]

genter transmissis irritus plerumque labor est, qui postea impenditur. Quod ne vobis eveniat, adolescentes, in re longe maxima, magnopere providendum. Servile quidem judicatis præceptoribus obsequi; at turpissima est servitus, suis cupiditatibus ita indulgere, ut ad veram libertatem intercludatur aditus. Cautum est, ne sævire in vos liceat; non injuria: in quibus enim recte agendi illibata inest voluntas, leges & præscripta non aversantur; si qui aliter sunt affecti, illos decreta regant necesse est. Sed altera potius præcepti pars ad vos pertinet, quæ vestri vos admonet officii; non quæ Magistris, ut prudenter agant, præcipit. Acerrimus Christianæ probitatis vindex Salvianus, Presbyter quondam Massiliensis, de sui seculi Christianis dicit; quod præcepti illius Salvatoris, quo discipulos suos eadem aliis facere jubet, quæ sibi ab illis fieri velint, alteram partem, quid sibi præstari expetant, optime noverint; alteram vero, quid ipsi aliis debeant præstare, ita prætereant, ac si penitus nesciant. Idem vobis accidere solet; partem sententiæ pro licentia & impunitate vestra diligitis; partem vero, quæ, quid facere deceat, præcipit, omnino præteritis. Ego sane mallem, omnes illos, qui non nisi illiberaliter tractari volunt, quam longissime hinc abesse; tantus enim privatæ utilitatis amor non est. Præstat paucos erudire, quos eruditionis amor excitet, quos objurgatio mordeat, & gloria juvet. Cæteros qui consuetudine sua optima ingenia corrumpunt, neque ad officium ulla vel admonitione vel objurgatione redigi queunt, usque adeo non moramur, ut invitos etiam excedere jubeamus,

mus, ne pars ſincera trahatur. Sed meliora de vobis ſperamus, præcipue illis, qui ſedulo cogitant, eo laudabiliorem eſſe diſcendi ardorem & obſequium, quo turpior eſt ignavia & contumax improbitas. Veſtrum erit efficere, ne veſtra culpa ſpes illa nos deſerat; & laboris noſtri illos percipiamus fructus, ut vobis omni tempore ad exactæ ætatis annos erecto & hilari animo reſpicere contingat.

BENE-

BENEDICTI BAHRII DISSERTATIO DE VIRTUTE PARANDA.

Ad Amplissimum Virum CHRISTIANUM CASSIUM, *Episcopi Lubecensis & Holsatiæ Ducis Consiliarium.*



Isi literarum consuetudo, Amplissime Cassi, desiderium meum levaret, gravius aliquanto ferrem, tam diu me à vobis abesse. Quod quidem illis, qui quo animo inter nos fuimus, intellexerunt, mirum videri non potest; modo cogitent, ægrè divelli, quos infucatus amor conjunxerat. Equidem post meum à vobis discessum toties me tibi præsto esse judicavi, quoties tuarum quicquam ad me pervenit, sive ad te scribendi fuit occasio vel caussa: neque aliter te affectum esse, ulla ratione, ut credam, adduci possum. Ista vero tecum colloquendi voluptate diutius aliquanto his diebus frui animum meum inducebam, ita futurum ratus, si pluribus ad te scriberem, quam epistolæ modus permitteret. Cumque ad hanc rem nullum argumentum commodius, neque studiis meis convenientius

nientius occurreret, quam quod est de virtute paranda; de hac mihi commentandum esse duxi, quod etiam certo scirem, utrumque nostrum honestam voluptatem capere hinc posse. Sicuti verò à multis fieri consuevit, ut in hoc genere certas personas inducerent, quæ inter se colloquerentur; quarum nomina vel propter auctoritatē gravissima, vel nescio unde cōficta: ita& ego hîc faciendū putavi. Nenisito dedi partes præcipuas, qui data ab Anchistio & Tagarenno occasione, ea quę visum fuerit, de Virtute dissereret. Te rogo, ut animū à me avertas, & Nenisitum loqui putes: alios vero, ne inutili solicitudine nominum, quę interlocutoribus sunt indita, rationem investigent; ne frustra quærant, quod nunquam invenient.

Vernum erat tempus, cum Nenisitus, ut à seriis rebus & gravioribus studiis animum relaxaret, ad amicos ire constituerat in Elisanum, idque conscio Anchistio, cui illud pridie significaverat. Hunc enim, quæ erat incredibilis inter illos fides & amicitia, nihil suarum rerum celabat. Tagarennus aliquot tum diebus præter morem Nenisitum non viderat, ideoque miratus se inscio eum abesse, facilè annuit Anchistio invitanti, ut secum iret in Elisanum ad communem amicum. Ambo isti postero die iter pedibus faciunt (neque enim XXXII. amplius stadia prædium ab urbe distat) idque non sine multa jucunditate, quam sibi negatam merito dolebat postea Nenisitus. Paullulum enim exuerat Tagarennus solitam sibi austeritatem; quo facto nihil erat illo homine ad suavitatem aptius. Venerunt eo, ubi erat Nenisitus, quem secreto conspicati cum amicis in Cœnaculo assiden-

tem, deque gravissimis rebus, casu an consilio, disserentem, noluerunt neque illum neque cæteros interturbare. Namque haud a'ia de caussa exierant, quam út intelligerent, quid in Elisano ageret Nenisitus. Eâ igitur, quâ venerant, viâ regressi, satis celeriter domum redeunt, suumque exspectant Nenisitum. Qui ubi de illis cognoverat in Elisano, molestè ferebat, sibi neque illos convenire, cum adessent, neque unâ ad urbem redire licuisse. Non enim ignorabat, quantum jucunditatis sibi detractum, quòd ab itineris societate esset exclusus. Urbis igitur & amicorum urbanorum desiderio incitatus, quâ potuit celeritate domum se recepit. Fortè assident foco uterque, Tagarennus & Anchistius, cum in conclave intrat Nenisitus. Tum Anchistius, Optato, inquit, Nenisite, nobis ades; Vix enim tempus ullum magis opportunum esse posset ad illa abs te impetranda, quæ dudum ut nobis præstares, contendimus. Ita est, inquit Tagarennus: namque quod petimus, hoc minus nobis denegare poteris, quod tantum itineris tuâ caussâ pedibus nos confecisse vides, ut fessi hîc assideamus. Imò, inquit Nenisitus, vel maxime quicquam negandi nunc est caussa, quando uterque vestrum, ut videtur, eam mihi invidit voluptatem, quam ex congressu percipere potuissem. Neque enim vobis est obscurum, quam ægre, cum per graviores caussas unâ esse licet, à vobis divelli me patiar. Noli, inquit Anchistius, mi Nenisite, committere, ut optima hæc occasio per te nobis eripiatur, quo minus, quod volumus, consequamur. Nisi me fallit animus, inquit Nenisitus, facilè cogito,

to, quodnam ſit illud, cujus ita ſatagitis; fortaſſis ad illud nemo me ineptior. Et haud ſcio, an ita exiſtimandum ſit, quæcunque à me proficiſci poſſunt, longe apud vos eſſe meliora & paratiora. Quæſo te, inquit Anchiſtius, ne iſto modo deſideria noſtra morari velis: ſæpiùs te à nobis rogatum facilè recordaris, ut de virtute paranda apud nos differeres. Tu quidem, neſcio quâ verecundiâ hactenus adductus, illud efficere voluiſti, ut vel ob ingenium te non poſſe, vel propter pertinaciam nolle hoc præſtare crederemus: illud fruſtra prætendis, cum his etiam majora exſpectare nos jubeat indoles tua; hanc autem, nullam rogandi indignitatem aut moleſtiam verentes, tandem expugnari poſſe confidimus. Magna ſunt illa, inquit Neniſitus, quæ & tuo & Tagarenni nomine à me poſtulas, Anchiſti, eoque majora, quo difficilius eſt veram vivendi rationem invenire, & ſi vel maxime inventa, ad illam in omni vitâ attendere. Mihi quidem nihil eſſet jucundius, vel ad res meas utilius, quam ea, quæ à me exiguntur, ab alterutro veſtrum exſpectare: quod ipſum ex animo dici dubium vobis eſſe non poteſt, ſi cogitaveritis, quam attente verba veſtra, ſicubi in hanc ſententiam fuit colloquendi occaſio, aucupari ſum ſolitus. Accedit & hoc, quod his temporibus penè facilius eſt rectè agere, quam illud præ ſe ferre: unde qui de honeſtate & virtute vel mutire velit, pro ridiculo habeatur; idque in primis, ſi ad levia quædam deſcendat, quorum vel maximus uſus eſſe ſolet. Vide, inquit Tagarennus, quam parum conſideratè agas. Etenim bonos eſſe, qui

optima quæque derident, quis dicet? Si mali sunt, quid ad te horum judicia? Non igitur satis fuit causſæ, cur ita refugeres ab hoc sermone, & nobis cupientibus atque instantibus sæpissime negares. Age tenemus te, nec ullo modo ante dimittemus, quam nostris studiis sis obsecutus. Video, inquit Nenisitus, nullum amplius esse neque cunctandi locum nec elabendi copiam; quare id à vobis peto, ut si exspectatione minora audiveritis, vestram esse culpam agnoscatis, non meam, qui digna vestris auribus à me proferri posse diffidebam. Etiam, inquit Anchistius. Neque vero his opus esse arbitrabar, nisi aliorum morem velles imitari. Tum Nenisitus: Quæcunque oculis nostris videmus, aut animo intelligimus, unumquemque nostrum merito rapere debent in admirationem illius, à quo ista sunt omnia. Idque eo magis, quo diligentius incumbimus contemplationi totius universi. Hujus enim cum videmus motus & conversiones, sidera suis quæque locis in Cœlo affixa, planetas suum tenere cursum, cujus certa definiant spacia; & præcipue in his Solem non tantum splendore orbem illustrare, sed etiam cursu suo ita designare annum, ut in certas partes eum dividat: præterea oculis inde ad terram conversis, camporum planicies, montium juga, sylvarum tractus, fluminum dejectus, sparsas per maria insulas, & vinculum illud terrarum oceanum; ipsum vero orbem tanquam in aëre suspensum: Hæc, inquam, cum intuemur, non possumus infinitam conditoris sapientiam & bonitatem non stupere. Cæterum ex his omnibus cum nihil eorum, quæ

creata

creata sunt, majorem capiat utilitatem, quam homo ratione præditus; is non ideo tantum hujus universitatis opifici quam maxime est obligatus, quod suâ quâdam nobilitate excellit; sed etiam quod reliqua omnia ad se unum pertinere videt. Adeoque tot beneficiorum perceptio admonere nos debet, ut soliciti simus de legitimâ ratione tanti Numinis colendi. Illa vero alia esse nequit, nisi ut errore ac vitiis, quantum fieri potest, exuti ea de Deo sentiamus, quæ tanta Majestate sunt digna; vitam vero omnem ita transigamus, sicuti fas est fieri ab illis, quos Deus in terris existere voluit sibi omnium simillimos. Quod tum demum fieri poterit, si intellectus & voluntas, quæ duo à cæteris animantibus potissimum nos discernunt, rectè se habeant; ut quæ falsa sunt, veritatis specie animis nostris sese non insinuent; & quæ bona videntur, nec revera sunt, sui desiderio non magnopere nos alliciant. Etenim cum hoc fit, aliter esse non potest, quin ubi serò nimis resipiscere datur, perperam nos sensisse, vel stultè quicquam expetisse doleamus. Nihil vero difficilius, quam res divinas ingenio nostro assequi; quippe cujus tanta est imbecillitas, ut in plurimis etiam, quæ ante oculos sunt posita, aut in corporibus nostris inesse deprehenduntur, verisimilitudine cogamur esse contenti. Ecquis rerum naturalium caussas eo, quo voluit, successu indagavit? Quis explicare poterit, quomodo suis alveis inhæreant maria? cur fluant refluantque? Qui enim post multos ingenii labores sibi in eruendâ veritate hîc videntur feliciores, fortasse non ita promti sunt ad ea confirmanda, quibus sententia sua nititur.

Animæ vero, ut propius ad nos ipſos accedamus, vias & naturam quis reperiet? quin in corporibus noſtris, quæ ſit partis cujuſque vis & natura, nondum ſatis cognoſcimus; etſi jamdudum, quorum intererat hæc noſſe, aperuerint, ut ea viderent. Vſque adeo in illis, quæ conſpectum noſtrum minime fugiunt,

Mens cœcis obruta membris
Nequit oppreſſi luminis igne
Rerum tenueis noſcere nexus.

Tantum abeſt, ut ad ſummi Numinis naturam ſcrutandam ultrà, quam fas eſt, adſpirare debeamus. Quòd ſi igitur ab hac parte, cum propter perfectiſſimæ illius eſſentiæ ſublimitatem, tum propter ingenii hebetudinem, parum habeat animus noſter, quod agat; niſi temerè aut fruſtrà occupatus eſſe velit; ad alterum illud, quod in verâ vivendi ratione conſiſtit, cogitationes & curas transferre debemus, & omni ſtudio id agere, ut eum imitemur, quem colere volumus videri. Quod in primis rectè fiet, ſi ea cognoverimus de Deo & nobis ipſis, quæ ignorare non convenit. Ad hanc vero cognitionem, quæ eſt de nobis ipſis, nunc non aliter attendemus, niſi quatenus uſus illius eſſe poteſt in his, quæ de parandâ virtute & rectè agendi facultate erunt dicenda. Solet enim contingere, ut, niſi cognitum habeamus, quales hoc vel illo momento ſimus, & quonam in omni vita reſpiciendum, ſucceſſu parum felici his rebus operam impendamus. Neque verò eſt, quod illa

omnia,

omnia, quæ cum his conjuncta esse solent, tractare me velle existimetis; aliò enim pertinent, quàm ad illa, de quibus dicturum me recepi. Imo forte, quæ paullo ante sunt dicta, prætermittere potui citra neglecti officii crimen. Video, inquit Anchistius, te ad illud properare, quod initio rogavimus; ego vero quàm vellem pluribus ista persecutus esses, quæ omitti potuisse existimas! Magnâ enim voluptate afficior, quando audire licet vel meditari, quomodo res creatæ etiam, si aliunde illud non constaret, ad colendum Deum nos adigant; idque tum fiat, si quæ tanto Numine digna sunt, de illo sentiamus, eaque faciamus, quæ à nobis fieri velit: hujus vero potissimam curam esse debere, ne frustra in illis de Divinâ naturâ cognoscendis elaboremus, quæ percipi non possunt; cum in terris etiam multa intellectum nostrum fugiant crassis tenebris occultata & circumfusa. At tu, inquit Nenisitus, cogitare debebas, quàm mihi verendum fuit, ne ista mea oratio gravis esset Tagarenni auribus: qui quòd illarum rerum est scientissimus, me de illis balbutientem sine dubio invitus audivit. Non ita est, inquit Tagarennus, tantùm ægrè fero, interpellasse Anchistium; malebam enim continentem orationem. Neque verò, inquit ille, id male te habere debet, Tagarenne, quod meis desideriis obsecutus interpellavi. Id certe operam dabo, ut quod omnium optime abs te fieri posse putat Nenisitus, aliquando de illis, nobis audientibus, sermonem inferas, vel amore nostri, vel precibus adductus. De eo videbimus aliàs, inquit Tagarennus; nunc quæso tu pergas, Ne-

nisite,

nisite, ne interlocutione nimiâ sermo tuus retardetur. Tum Nenisitus: Quicunque eam vitæ rationem inire cogitat, ut omni tempore virtutis ac honestatis ratio habeatur, is oportet illam cognoscat, amet atque exerceat. Quòd si cui unum ex his deest, in eo nihil virtutis potest inesse. Etenim quomodo quis amet rem sibi incognitam? quid vero prodest optima quæque à malis dignoscere, nisi eadem ista amemus, & contraria oderimus? Sed neque hoc neque illud conducere quicquam potest, nisi quæ didicimus honesta esse, & propterea cæteris omnibus anteponenda, per omnem vitam sequamur: Id vero ut fiat, diligenti exercitatione opus est; neque enim nisi rectè agendo rectè agere discimus. Nolo autem nunc disquirere, quodnam horum pręcedat alterum; amor cognitionem, an hæc illum; exercitatio amorem & cognitionem, an contrà: Illud dubitari non debet, non posse hæc separari ab invicem in eo, qui veræ virtutis studio tenetur. De singulis ita agemus, ut suis locis appareat, quodnam præcipuè tractetur; ita tamen ut quæ ex cæteris interdum propter cognationem prætermitti nequeant, admisceantur. Et primò quidem frustrà ad virtutem & honestatem contendit, qui earum naturam nolit habere perspectam. Quomodo temperanter vivet, qui quid sit temperantia ignorat? justus quomodo erit, qui quæ oportet, de justitia non cognoscit? Multos sanè reperire licet, qui non tam affectibus impediuntur, quò minus optima faciant, quàm imperitiâ inveniendi ea, quæ decent. Virtutem, inquiunt, magni facimus, cum reipsâ
non

non nisi vitiis sint dediti; Et hoc malum ideo frequentius est his temporibus, quod vitiis virtutum nomina sunt indita. Aliena largiri liberalitas dicitur, temeritas & malarum rerum audacia fortitudo; ignavus humanarum rerum contemtorem se appellat, iners placidum, adulator amicum. Ita quidem fieri malorum interest; nemo enim est tam improbus & vitiis immersus, quin virtutis & probitatis opinionem affectet. Et propterea qui injuste agit, justus vult videri; qui multa fecit crudeliter, speciem recti sibi induit; & ne quid flagitii omittatur, sunt qui interdum valdè indignantur, gratias sibi non agi ab his, quibus ægrè fecerunt. Quia vero horum non pauci opibus dignitate & gloriâ florent, facile decipiuntur incauti, existimantes, ejusmodi homines verè felices esse, cum nihil illis desit eorum, quæ à plerisque expetuntur. Contrà videmus veram virtutem contemtis nominibus appellari: Innocentia pro fatuitate habetur; castitas & pudor ludibrio sunt; Cui mentiri religio est, inutilem dicimus, qui rebus agendis adhibeatur, quod fallere nesciat; Qui alienis abstinet, cum impunè acquirere possit, ignavus putatur; Conscientiæ suæ qui paullò est amicior, hunc stultum judicamus. Tanta perversitas cum ubique fere vigeat, quid mirum paucissimos esse, qui discrimen teneant honestorum & turpium? Si quibus meliori doctrinâ imbutis contingit, ut hos scopulos prætervecti falsis nominibus non capiantur, admodum tamen difficile est dispicere, quid omni tempore & loco deceat vitare, quid sequi; qualis ubique modestia adhibenda, ita ut singulæ actio-

nes ad honesti rationem sint accommodatæ. In quibus omnibus nisi prudentia succurrat, labi & errare necesse est: unde consequitur, ut si non planè turpiter, stultè tamen aut temerè egisse videamur. Quanquam ferme affirmare non dubitem, omnes nostras actiones, certè plerasque aut turpitudini aut honestati esse vicinas. Quicquid enim decet, honestum est, & quod honestum est, decet: ipsum vero decorum à virtute & honestate cogitatione magis quam re separari potest, ut videtur Romanorum disertissimo. Neque majoris est facilitatis animadvertere, quâ quis personâ est indutus. Non loquor nunc de communi illâ, quam omnes sustinemus, undè homines appellamur, quam si tueri velimus, nunquam humanitatis debemus videri immemores. Secus tamen à multis fieri, quis satis mirabitur? Sunt enim qui feritate interdum adscitâ, quam voluptatem existimant turpissimo errore, longissimè recedunt ab humanitate, ac si eos pœniteret nimis diu fuisse homines. Alios videre licet sæpenumerò non tam insanientes quàm furentes, quibus jocus est & ludus, humanum sanguinem profundere, vel ideò belluis inferiores, quòd his quodammodo inter se pax est. Sed de communi illâ personâ, ut dixi, nunc non loquor. Alia est, quæ singulis imposita, magnâ admodum naturarum & morum dissimilitudine; quam unumquemque ita gerere oportet, ut nunquam à communi illâ recedat, & nihil quicquam committat, quod propriæ naturæ parum convenire videatur. Huc non pertinent tantum diversæ ætates in uno eodemque homine: ubi diligenter animadvertendum,

tendum, sæpè, quæ in nobis laudata cum essemus adolescentes, vitio dari si adhùc viris adhæreant; sed etiam deliberatio illa de vitæ genere, quod sequamur, summè necessaria: Quæ quò est difficilior & majoris momenti, eò consideratius institui debet. Omnium autem maximè in eo deligendo naturæ & virium, non rarò etiam fortunæ est habenda ratio. Hùc ubi consilium vitæ est accommodatum, constantiam adhibere oportet, nisi error fuerit commissus: quòd si contigerit, omnis mutatio ita est instituenda, ut nihil temerè, nihil subitò facere videamur. Ante omnia dispiciendum, cui oneri pares esse queamus: stultitia est, siquis infirmâ valetudine, corpus multo labore velit opprimere; si nimium est verecundus, rebus civilibus se immiscere; si contumacior aliquantò, in aulam se dare. In singulis hisce nisi quis constituere possit, quid sequendum, quid fugiendum; nondum illis instructus est, quæ ad veram virtutem sunt necessaria. Tantum vero abest, ut hac prudentiâ carere possit virtutis sectator, ut etiam quæ rectè facta videntur, à virtute & honestate sint aliena, si ab inscio sunt facta. Aliunde enim nonnunquam potius illa proficiscuntur, quàm à rectâ voluntate. Et qui fieri aliter potest? Actio namque nulla erit recta, nisi voluntas in rebus appetendis fugiendisque rectè se habeat: voluntas autem rectè se habere nequit, nisi habitus animi omnem vitæ rationem sit complexus; quæ fugienda, teneat, quæque sequenda; ut sciat quando fieri quid oporteat, in quantum, cum quo, & quemadmodum. Absque hoc est, temeritate ducimur, neque quid

agamus, neque ob quas caussas, satis habemus cognitum: Cum frustrà laboret appetitus in persequendis illis, quæ videntur profutura; & in fugiendis, quæ nocitura; si ratio, cui appetitus obtemperare debet, vel in judicando erraverit, vel quid cui præferendum dubitet. Si his omnibus opus est, inquit Tagarennus, quota pars hominum ad virtutem est idonea? alios naturalis quædam stupiditas impedit, ut ne sapere quidem possint, etiamsi velint; alios ingenii tenuitas, ut licet stupidorum numero non sint habendi, istam tamen quam tu requiris, judicandi facultatem sibi comparare nequeant; alios eorum consuetudo, qui non nisi male agere didicerunt: quibus quia sese applicant errore ducti vel casu impulsi potiùs quam suâ sponte, certè non video, quomodo vitæ leges percipere queant. Illud velim mihi credas, Tagarenne, inquit Nenisitus, nemini cujuscumque sit sexus aut fortunæ, præclusam esse virtutis viam. Pauperi non obstat egestas, neque diviti opulentia; Regem non impedit sua, quâ valet, dignitas, nec servum vilitas: tantum requiritur ut ipsi velimus, nec falsâ admiratione aut vano metu moveri nos patiamur. Quid enim sibi animus noster promitteret, si penes fortunam esset rectè agendi potestas. Illos tamen excipio, qui propter rationis defectum, sicuti reverâ male agere nequeunt, ita nec boni esse possunt. Consuetudo vero & ingenium neminem excusant, quandoquidem hoc præceptis & boni viri operâ adjuvari potest; ista vero hoc minus veniam meretur, quo major est veritatis, quam consuetudinis habenda ratio. Illa enim patet, modò investigare

gare velimus: quòd autem pergimus, non quâ eundem est, sed quâ itur, & viam æstimamus non per se, sed multorum vestigiis, nostra est culpa: cùm semper nobis suspecta esse debeant, quæ à plurimis fiunt. Ex his igitur nemini obscurum esse arbitror, judicium esse adhibendum in rebus honestis & turpibus, nec propterea quemquam aditu ad virtutem excludi. Etenim non eam ob caussam hæc dicuntur, ut istâ, quæ videri possit, difficultate quis deterreatur; sed ut excussâ securitate, quâ impediti à virtute multi existimant prope se abesse, qui vitiis adhuc alte sunt immersi, eò magis laborent de inveniendâ officiorum viâ. Iam ad alterum illud de amore virtutis erit accedendum. Minime vero, inquit Tagarennus: neque enim præcipuum illud erat omittendum, quâ ratione, ut honestorum & turpium discrimen in omni vitâ cognoscatur, effici queat. Nimis longum foret, inquit Nenisitus, si omnia illa exsequi vellem, quæ quoquo modo huc pertinent; nec illud me facturum initio sum pollicitus: tum etiam vereor, si hoc loco id faciam, ne idem mihi præstandum de amore & exercitatione. Illud vero cur recusas, inquit Tagarennus, cum non minus tibi quam nobis jucunditatem quandam afferat? Iam animadverto, inquit Nenisitus, facilitate meâ factum, ut majora à me postuletis, quam sperabam, aut à me præstari posse puto. Ne autem refragari quâ in re vobis videar, de his etiam quæ in mentem venerint addam, sed brevibus; cum jamdudum à veteribus id factitatum: ad quorum similitudinem si vel conari quicquam velim, meo ipsius judicio insaniam necesse est. Quare etiam

vix melius de quoquam meruisse mihi videor, quam si à me adductus eorum libris legendis capiatur, authorum, qui illos eruditione & modestiâ imitantur. Præcipua quæ rectâ de bonis malisque sententiâ nos possunt imbuere, sunt præcepta, dogmata & exempla. Inter præcepta & dogmata hoc interest, quòd illa in sententiam conclusa præcipiant, quæ fieri deceat, quæve omitti. Qualia sunt illa:

Qui se habet, nihil perdidit.
Prius oportet te ipsum emẽdes, quam alios
emendare velis.
Magna pars profectus est, velle proficere.
Fugiens periculosam
Sortem sedis amœnæ,
Humili domum memento
Certus figere saxo.

Et hæc partim nos movent, quia per se sunt manifesta, partim monentis auctoritate, maxime si à verbis non dissidet vita: Alia commendat brevitas vel numerorum venustas, quibus sunt devincta. Dogmata vero sunt, quæ veritatem argumentis colligunt, & faciendum quicquam aut fugiendum ostendunt, quia justum & honestum est. Hoc autem apud omnes tantum valere debere, ut quantum quis inde recedit, tantum ab humanitate recedere credatur. De his inter se non conveniebat veterum quibusdam; alii enim propria cuique personæ præcepta danda esse existimabant: quod incomprehensibile opus videbatur.

Aristo-

Aristoni; cum si ita fieri necesse esset, alia præcepta danda fœneranti, alia colenti agrum, alia negotianti, alia regum amicitias sequenti, alia pares, alia inferiores amaturo: in matrimonio præcipiendum quomodo quis vivat cum uxore, quam virginem duxerit; quomodo cum eâ, quæ alicujus matrimonium experta; quemadmodum cum locuplete, quemadmodum cum indotatâ: quin futurum, ut discrimen inter sterilem & fœcundam, inter provectiorem & puellam, inter matrem & novercam præceptorum varietatem flagitaret. Quia vero omnes species complecti non possimus, cum sint infinitæ; universam præceptorum rationem rejiciebat tanquam supervacuam, & decretis seu dogmatibus tribuebat plurimum. Alii vero, quorum melior videtur sententia, ita præceptis locum relinquunt, ut dogmatibus ea adjuvari velint: his enim opus esse, ut error & inscitia tollatur: quandoquidem frustrà præcipimus, nisi mala persuasio ejusque caussa animis nostris exemta sit. Sed neque hi negare possunt, tantam interdum esse præceptorum vim, ut mentes hominum etiam sine probatione percellant. Etsi autem illa non omnia unâ eâdemque ætate in vitâ & moribus exprimi possunt, tamen ita sunt tenenda, ut, si quæ occurrant, in quibus eorum usus esse potest, statim sint in promptu. Non secus ac peritus Medicus multa comparat remedia adversus quoscumque morbos, etiamsi nunquam ea adhiberi sit necesse. Exempla quoque bonorum virorum magnam utilitatem adferunt, ut fermè instar legum esse queant, ad quas vita & mores conformen-

formentur. Eligendi proinde sunt quorum vitæ interesse liceat: horum actiones perspiciendæ, & omninò quæcumque ab illis fiunt, diligenter observanda; caussa etiam indaganda, cur ita & non aliter agant. Sed unde certus esse possum, dignus quispiam sit nec ne, cujus vitæ rationibus ita attendatur, ut quæ ab illo fieri video, recta esse persuaderi queam? Nisi alterius fide & indicio illud nobis innotuerit, ante oportet aliquid cum eo temporis transigamus: aut eâdem in domo, ut à latere ejus discedamus nunquam, aut in illo loco ubi vivit: quod si contingat, diligenti attentione, qualis sit, explorandum est. Si igitur in vitâ conveniens quędam æquabilitas, & constans morum modestia; si quieto est animo, nullis neque molestiis succumbit, neque timore frangitur; in adversis animum non demittit, in prosperis non effert; à fraude & perfidiâ alienissimus, rectè agit etiam ubi spectator abest, solâ conscientiâ contentus; virtutem non amat propter præmia, sed recte factorum mercedem putat, qùòd fecerit; nemini indignatur ptopter damnum aliquod acceptum, nec unquam dolet, nisi propter sua errata vel alterius vitia; si benefacere ei voluptas est, & summa cura, ne quid perperam faciat, aut si factum est, quamprimum corrigat: hunc illum esse, quem quærimus, minime dubitandum. Illud cavendum, ne omnia illius imitanda putemus, sed ea demum, in quibus nostra persona ab illo non multum differat. Quæ autem per se sunt honesta vel turpia, ita ut nunquam propter ullas loci, temporis, aliarumque rerum circumstantias talia esse desinant; ea sine omni ambiguitate sequenda

aut

aut fugienda esse, considere possimus. Neque hinc solum vivendi via nobis erit consideratior, si bonorum actiones ipsimet intueamur: magnam etiam consequimur utilitatem ex illis scriptis, quibus eorum vita exposita, qui vel dudum decesserunt, vel nunquam nobis visi. Imperatorem multa docebit Augusti vita à Suetonio consignata: Aulicum Philo instruet, legentem quæ de Iosepho memoriæ prodidit; si quis privatus nec honores petere nec dignitates gerere velit, ne illum fugiant quæso quæ de Pomponio Attico scripta reliquit Cornelius Nepos: omnia sane quàm egregia, nisi moriendi, ut illis temporibus, consilium inivisset, cum vivere diutius posset. In his & similibus, quisquis est & quamcumque personam tueri velit, multa reperiet ab officio suo non aliena. Sicuti autem hæc eò pertinent, ut optima quæque cognoscamus; ita etiam, quæ parum decent in aliis, animadvertere licet, & quidem multò melius quàm in nobis ipsis. Quod enim in pueris videmus, ut rectius inlelligant deliquisse se, ubi Magister eadem emendandi caussa imitatur; idem & nobis evenire solet, cum quæ vitia in nobis insunt, si in aliis cernimus, multò magis vitia esse cognoscamus. Præterea alienum non est, si quæ incidunt, in quibus utrum sit eligendum, ambigitur; doctorum hominum atque usu peritorum adhibere prudentiam & consilia, ut quid illis videatur, exquiramus. Qui enim tempus exspectat, quo per se sciat, quid in vitâ sit factu optimum, interim errabit: & error iste efficiet non tantùm ut seriùs recta cognoscat, sed etiam difficillimè corrigat, quæ longâ con-

ſuetudine jam ſunt confirmata. Videndum tamen, ne intellectâ prudentum ſententiâ & cauſsâ cur ita ſentiant, illis plane acquieſcamus: multa námque ſunt, in quibus nihilo ſecius noſtrum etiam judicium accedat oportet. Nunc ad amorem virtutis tranſeamus, abſque quo quicquid agimus, proprie virtutis & honeſtatis nomine appellari nequit, licet illius mentiatur ſpeciem. Fruſtrà diſcimus quæ ſunt optima, niſi cum impetu animi quodammodo ad ea veniâmus. Quicquid agimus, aut ſponte fit, aut ab invitis, aut neutro ſumus habitu. Si ab invitis, quæ laus eſſe poteſt eorum, quæ ſi per nos ſtaret omitteremus? Si neutro ſumus habitu, aut lànguor adeſt aut temeritas; virtus autem nullâ ratione neque hanc neque illum ferre poteſt. Unde conſequitur, recte factorum gloriam nos amittere, niſi amore ad ea impellamur. Qui beneficio aliquo afficitur, non ad animum dantis convertit oculos, ſed ad manum, quàm illa ſit larga: Vere autem beneficus eſſe nequit, qui aliunde quam ab honeſtate incitatur, ut liberalis videri velit; cum vero talem eſſe non eſt dubium, qui ſibi detrahit ut aliis largiatur, & ut his bene ſit, frugalius cœnare non dubitat, idque ſolâ bene faciendi cupiditate; quæ tanta eſt in eo, ut nihil penſi habeat, beneficia ſua ignorentur nec ne, modo conferre liceat. Alios, qui non niſi faſtu, aut vanâ gloriâ, aut ſtulta emulatione, ne inferiores credantur his, qui eadem fecerunt, aut perfidâ ſimulatione, quò fidem inveniant apud fœneratores; his cauſſis qui impulſi, ut largos ſeſe præbeant, quis quæſo liberales dicat, niſi qui vulgi decretis aſſentitur? Certe ſi quicquam

in his

in his boni inest, non aliud videtur, quàm quod eo modo indigentium succurritur necessitati. Neque vero sufficit virtutem amare, nisi per se illam amemus. Si Deum ideo diligamus, quòd divitias tribuit, quod opes, dignitates, gloriam, valetudinem, & plura alia, quæ vulgò vehementer expetimus, non tam summum illud Numen amamus, quàm reliqua, quæ ab illo eveniunt. Id quod tum intelligi poterit, si his ereptis æque erga illud simus affecti, quam cum ista omnia haberemus. Eodem modo honesta, quæcumque talia sunt, ut, si illis non delectemur nisi cum alia bona consequantur, falsus sit eorum amor; neque enim virtus ei inesse potest, quem spes lucri invitat, aut damni metus deterret, quò minus recte agat. Quod si dicamus: quæ inde ad nos utilitas, si ita egerimus? quæ damna poterunt averti? illud cogitandum est, melius quicquam nos consequi non posse, quàm si boni simus; nec majus incommodum declinare, quàm si vel mali non simus vel quamprimùm esse desinamus. Si tamen bona quædam requirere libet, quæ inde sint exspectanda, quodnam quæso præstantius, quàm animi illa tranquillitas quæ semper est conjuncta cum recte factorum conscientia? Quod miserius quam perpetua vel ex intervallo recurrens animi perturbatio? à qua liber esse nequit, qui à virtutis studio est remotus: hæc nunquam securos nos esse sinit, etiam cum aliis videmur felicissimi propter rerum abundantiam; animi vero tranquillitas efficit, ut multa facilitate feramus eorum angustiam, quæ in fortunæ posita sunt arbitrio, & si adsint, eo loco habeamus,

quo haberi debent. Vera autem illa bona quò minùs nobis ſint cariſſima, potiſſimum efficit, quod imperite admodum ea admiremur, quæ nos bonos reddere non poſſunt, eaque formidemus, quæ neminem niſi qui velit, miſerum reddere queunt. Illorum numero habenda ſunt generis nobilitas, divitiæ, potentia, gloria, corporis valetudo, pulchritudo, voluptas, ſenectus, eaque omnia, quæ licet alieni ſint arbitrii, tanti tamen à pleriſque fiunt, ut quibus adſint, felices judicentur. In his quæ averſamur, numerantur generis obſcuritas, paupertas, ſortis tenuitas, ignobilitas, corporis imbecillitas aliaque vitia, exſilium, mors, & reliqua omnia quæ felicitatem noſtram vel minuere vel prorſus tollere vulgo creduntur. His ut occurratur, perſuaſum nobis eſſe debet, non tàm in alterius poteſtate ſitum eſſe, quo minùs ſimus vere boni, quam in noſtra ipſorum; illa vero quibus conſuetudo precium poſuit, tanti non eſſe, ut propter eorum poſſeſſionem multum gaudeamus, vel propter amiſſionem doleamus. Illud autem optime omnium fieri poterit, ſi ad ſingula quodammodo æſtimanda accedamus, ne decipiat nos eorum error, qui nomen quidem virtutis uſurpant, ipſa vero quid ſit plane ignorant. Majores ſuos quis extollit, & gloriam, quam illi labore & induſtria compararunt, ad ſe pertinere putat? profecto fallitur, niſi ſua virtute eam conſervare ſtudeat. Etiamſi familiæ nomina longo recenſeat ordine, dedecus eſt ſi ſplendorem ab iis acceptum ſuis vitiis obſcuret.

Incipit ipſorũ contra *illum* ſtare parẽtũ

Nobi-

Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.

Alienum igitur bonum eſt, quod ſibi arrogat, & tum demum illuſtrat, ſi à majoribus acceptum decus ſua virtute auctum ad poſteros tranſmiſerit. Quod ſi fiet, eo quod ſuum eſt, magis gaudebit, quam quod ab aliis relictum: ſin minus; cur propter illud ſuperbit, quod ſua improbitate & ignavia dedecorat? Quam vero glorioſum! ſi majores per illum innoteſcant, poſteri vero & nobilitatis initium & virtutis ab eo capiant exemplum: ut illos Tragici verſus non injuria ſemper in ore poſſit habere:

Nobiles non ſunt mihi
Avi; nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus. qui genus jactat ſuum,
Aliena laudat.

Illud certum eſt, generis ſplendorem neque dare bonam mentem neque ſecum auferre, cum & miſerrimis contingat & bonos deſtituat ſæpiſſime. De divitiis idem, niſi fallor, ſentiendum; niſi forte quis credat bonum eſſe magis proprium, quando ſuo labore, parare & ignaviâ perdere illas poteſt. Sed cui hoc perſuadebimus, qui cogitet, quot caſibus eripi poſſint? quod cum fieri videamus, cur quæſo rei fluxæ innitimur, aut tantam operam impendimus? Multos miſeriores reddit opum abundantia quam inopia: & poſtquam illis modum conſtituere deſiit indigentia humana, ita ut non amplius ſufficerent,

quibus fames, sitis & frigus pelleretur, omnia mala generi humano inferri sunt cœpta. Non quidem ipsæ divitiæ nocent, aut nummorum copia beatitudinem per se impedit, sed immensa cupiditas. Sicuti infirmus animus est, qui non potest pati divitias; ita vix licet nobis esse tranquillis, qui ultra modum earum desiderio tenemur. Modo nos afficit comparandi sollicitudo, modo torquet perdendi metus, nec raro eripit sæva rapacitas, etiam cum vitæ nostræ periculo, quæ magno labore erant congesta. Eorum vero qui possident, quotusquisque est, cui vel in vita vel post mortem propterea bene esse contigerit?

Nec cura mordax deserit superstitem,
Defunctūq; leves non comitātur opes.

Contra qui illis est contentus, quæ ad vitæ necessitates sufficiunt, quo minus ad fortunæ injurias est expositus, eo minus habet quod metuat. Dumque vitam ita transigit, hæc secum cogitat;

Hic nullo fine beatus
Componit opes gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.
Bene paupertas
Humili tecto contenta latet.

Potentia vero haud scio an plurimis oneri sit potius quam voluptati. A multis quidem timentur, sed & multos metuant necesse est; neque in sua est potestate, quod volunt, sed eorum qui serviunt; absque

horum consensu facile vident, se non posse quod volunt efficere. Certe ejusmodi quicquam hoc omne est, & usque adeo in alterius voluntate positum, ut neque cum habere cupias, neque cum deponere, tuto semper id liceat. Multos fuisse & adhuc esse non dubito, qui postquam ea qua antea florebant Principum gratia exciderunt, Dionysium, si possent, imitati Corinthum aufugerent. Quam lubrica etiam & periculosa sors sit ipsorum Principum, mallem non ita aperte declararent nostra tempora. Quem vero nec dignitas ampla nec titulorum splendor commendat, hiccine præ cæteris ob hoc infelicior credendus? Sane si vir bonus est, aliorum potentiam moderate fert, & tutius existimat subesse quam imperare. Tantum vero abest, ut suam sortem mutari velit, ut etiam Thyestem imitatus sibi de sua humilitate gaudens his versibus oblata imperia repudiet:

O quantum bonum est,
Obstare nulli, capere securas dapes!
Humi jacetem scelera non intrat casam,
Tutusque mensâ capitur angustâ cibus:
Non vertice alti montis impositā domū
Et eminentem civitas humilis tremit.
Nec fulget altis splendidum tectis ebur,
Somnosq; non defendit excubitor meos.
Sed nō timemus; tuta sine telo est domus,
Rebusque parvis alta præstatur quies.

Glo-

Gloriæ etiam & famæ cupiditas multos impellit, ut quacumque ratione possint, immortalem illam consequi nitantur. Alius magnifica exstruit ædificia, quibus nomen suum inscriptum ab oblivione vindicet: alius bella gerit, ut rerum fortissime gestarum memoriam posteris relinquat: alius ingentia librorum volumina edit, ut ingenii & eruditionis famam consequatur: Et hujus desiderium tam late vagatur, ut vix quisquam sit etiam inter abjectos, qui aliis non velit innotescere. Cæterum multis ea contingit ex aliorum calamitate; aliis ex ejusmodi factis, in quibus ne species quidem inest virtutis: quin & illi famam aliquam sibi promittere possunt, qui non ita dignum quicquam memoria gesserunt; cum nunquam non venalis sit quorumdam calamus, qui quod factis deest, egregie verbis supplere possunt. Vera autem gloria, quæ virtutem sequitur, pauci sciunt quid sit aut quomodo petenda: & qui digni sunt, non admodum illa capiuntur, neque nisi raro ante mortem contingere solet. Ecquid vero ad nos pertinent, quæ superstites de nobis prædicant? ad illos quidem non nego inde aliquid utilitatis posse pervenire, dum exemplo defunctorum, qui optime vixerunt, ad præclara incitantur; ipsos tamen ea res nihil tangit. Qui autem falso vulgi aut adulatorum rumore feruntur, illos merito suarum laudum, quibus digni non sunt, pudere debet. Præter hæc quos terrarum ingentia spacia non capiebant, cum imperii & gloriæ desiderio essent incensi, quid quæso in illorum vita fuit, quod sibi vel parum prudens optaret? quippe quæ erat molestiarum plena & exitus eorum sane quam miser-

miserrimus. Ille vero de quo ne vicini quidem habent quod dicant, numquid propterea infelix judicandus? O quantus est ille! qui ex animo dicat:

Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur sibi.

Corporis valetudinem, virium & membrorum integritatem quis non sibi inprimis expetat? Cum nemini dubium esse queat, tanto expeditiorem inde quemvis reddi ad vitæ actiones. Sed nihilo magis, si horum quicquam deficiat, illud ægre est ferendum; aut gravibus querelis amicorum aures onerandæ. Ipsa consuetudo efficit, ut dolores aut minus aut æquiore saltem animo sentiamus; sunt etiam quos corporis imbecillitas in rectam vivendi viam reduxit. Quia enim voluptatibus indulgere non licet, & mortis perpetua cogitatio minus jucunda reddit, quæcumque magni fiunt à cæteris; fieri solet, ut animus de suis bonis prospicere sibi incipiat: quæ parare eo est proclivius, quo minus appetitus rectæ rationi refragari potest, postquam corpus diuturna assuefactione eo redactum, ut suis, quibus delectari solet, voluptatibus haud ægre careat. Hinc gratias etiam debere videmur illis, quæ initio erant acerba; utpote quibus effectum, ut nostram sortem cum aliena minime velimus permutatam. Ideoque licet valetudinis & virium corporis omnino est habenda ratio, tamen ita id fieri debet, ut si infirmitate vel perpetua corpus nostrum est affectum, æquo nihilo minus

animo simus, cum optimarum rerum licet non persae occasio esse possit. Pulchritudinem & formam in utroque sexu præ cæteris spectandam esse jamdiu consuetudo præcipit, ita quidem ut virtus, prudentia, castitas longe inferiores judicentur. At quam fragilis illa res & quantæ mutationi obnoxia! Sæpe pudoris etiam faciunt jacturam, qui huic plus justo tribuunt, neglectis interim animi virtutibus;

Raro est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ.

Hinc multoties dolere videmus, qui illius specie ita oculos suos præstringi sunt passi, ut quæ in perpetuum grata esse potuissent, omitterent. Quibus vero illud, quod tanti à multis æstimatur, à natura denegatum est, aut casu aliquo subtractum, his nihil obstat quo minus hanc jacturam virtute & prudentia resarciant, quæ etiam quævis vitia corporis facile obscurare possunt. Voluptatem corporis tantopere amari, eo est turpius, quo magis hominem, qui rationis est particeps, illud dedecet. Cætera omnia quodammodo corporis commoda spectant, ista vero sæpissime corpus & animum ita enervat, ut neque sibi neque aliis vivere quis possit; usque adeo in perniciem nata eorum, quos jucunditate afficere videtur, ut Curius & Coruncanius, cum audissent, Athenis esse, qui se sapientem profiteretur, eumque dicere, omnia quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda, optarent ut id Samnitibus & Pyrrho hostibus suis persuaderetur; quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent.

Habet

Habet omnis hoc voluptas;
Stimulis agit fruenteis,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Vitæ longitudinem multi expetunt, quod natura vivendi desiderium mentibus hominum ingenerasse videatur. Sed quid quæso omnis vita, nisi virtutis & recte factorum memoria eam reddat amabilem? sola illa efficere possunt, ne vixisse nos pœniteat, si recte velimus judicare. Multi olim potuissent felices videri, nisi tardius aliquanto mors eos abstulisset. Pylius ille Senex valde queritur apud Satyricum, & grave quoddam à se commissum arbitratur, cur in tantam multitudinem anni excrescerent, quo efficeretur, ut tot amicorum funera & calamitates lugeret. Certe his temporibus nihil esse videtur, quod magnopere nos invitet ad vivendum, etiamsi ex senili ætate repuerascere liceret. Ita enim omnia sunt turbata, & ad communem, ut videtur, calamitatem destinata, ut cui spes fuerit ad meliora perveniendi minime fallax, bene cum eo agi existimem, si ex hac vita excedere contingat. Optime interea affectus est, qui nec vivere nolit, nec mori: mortem namque qui horret, arroganter facit sine dubio, quia istud recusat, quod omnibus impendet; hac enim lege nati sumus. Illud potius erat optandum, ut recte moreremur; quod fieri potest, si bene vixerimus.

Quid vero interest, quamdiu quis vivat, si illud consecutus est, ut non invitus pareat Deo quæcumque imperanti? Exsulare quem cogit dominorum sævitia aut belli rabies; illud fortassis grave est, quod patria careat. At quam multi sunt quorum corpora tegit aliena terra. Nusquam exsulare se putabit, si cogitet, patriam esse, ubi homines incolunt. Casu factum est, ut in ea terra, quæ existimatur patria, mater illum in lucem ederet; quam si fortuna eo transtulisset, ubi nunc exsulat, patria esset, quem exsilii putat locum. Deinde bona Repub. vel aliqua saltem, si bonus est, non migrabit: si vero acerba sunt imperia aut omnia conturbata, quis non ubivis mallet vivere, quam in illa regione, in qua omnia ita conquassari incipiunt, ut ædificiorum quoque cadavera projecta jaceant? Brevibus hæc dixi, si hujus argumenti amplitudo spectetur, sed satis esse arbitror. Eodem modo si rationem in omnibus dijudicandis adhibeamus, non facile fiet, ut præter fas quicquam admiremur aut metuamus. Errore autem sublato, quem major pars hominum nobis instillavit, nihil restare videbimus, quod serio ametur, præter virtutem, & quæ ab illa separari nequit, animi tranquillitatem. Illud inprimis tenendum est, ista omnia quæ non sunt in nostra potestate, ideoque corporis, fortunæ & externa bona vel mala appellari solent, non simpliciter adversari rebus honestis & veris animi bonis. Expetit illa vir bonus; nec injuria, cum vel ad vitam commodius degendam faciant, vel honestæ voluntatis explicandæ uberior materia esse possint. Non parcit labori neque curæ, ut cum sibi, tum illis, qui-

bus

bus hoc debet, præſto ſit unde vivant. Si eligendi datur poteſtas, mavult divitias quam paupertatem, ſed ſine cujuſquam injuria partas, ſine ſordidis quæſtibus, quibus non niſi malignitas & invidia ingemiſcit, ſibi negata dolens, quæ alii induſtria & frugalitate acquiſiverunt. Si amplum eſt matrimonium, & honeſtis artibus quæſitum, ita gaudet, ut neque glorietur, neque erubeſcat: Unde etiam non dubitat domos aperire & cuivis poteſtatem facere tollendi quæ ſua ſunt, ſatis certus, nihil ineſſe, quod ad alium pertineat. Si vero his carendum, id ſine omni dolore atque animi perturbatione fieri debere exiſtimat: ita ut ſemper habeat virtus quod agat; cum vel temperanda ſint gaudia in proſperis, vel in adverſis compeſcendi dolores. Ita plane perſuaſus eſt, fugacia eſſe hæc omnia, & tanquam in diem data, eamque ob cauſſam ſine virtutis jactura comparat, ſine metu poſſidet, & ſine querela, ac ſi mutuo ſint conceſſa, repetenti fortunæ non invitus reddit, illud quam maxime decere ſe arbitratus, ut nunquam propter illa, ſive paranda ſint ſive amittenda, officium ſuum deſerat; ſemperque ita cogitat,

Sunt alia forte, quæ putes incommoda,
Hæc fugere ſi qua liceat, haud diſſuadeo;
Dum prima maneat cura, ſapienter, pie,
Probeq; vitæ currere hoc ſtadium brevis.

(Sine dubio agnoſcis ingenium Anchiſti à quo hæc ſunt profecta.) Quę omnia licet eo modo ſeſe habeāt, non tamen animi quædam impotentia potius quam

magnitudo judicanda eſt, ſi quis ea, quæ magno æſtimantur, interdum repudiet; non quod pro malis illa habeat, ſed quod vereatur ne ſe prohibeant eo, quo tendit, pervenire, aut requiem, quam in perenni ſuo negotio quærit, eripiant. Has enim init conſilii ſui rationes: pecuniam contemſi, quam paratam habere poteram; metuendi ſuſtuli cauſſas: honores repudiavi, quos ultro oblatos gerere licebat; minus eſt moleſtiarum: Opibus & potentia valere poſſum; ſed cur non corpori meo indulgeam, ut tutius illud habitet nobilis hoſpes? Rideant licet, qui mea culpa neglexiſſe me putant res vulgo precioſiſſimas; carere his malo, quam ita abundare, ut ſecuritati meæ detraham. Neque enim tam vehementer inſanire lubet, ut aliorum opinione meam felicitatem metiri velim; quoniam fieri poteſt, ut illi pro beato me habeant, cum revera ſim miſerrimus. Hanc animi continentiam quis non admiretur? Modo qui ita ſunt affecti, iſta non tam fugere videantur, quam præterire, nec tanquam res per ſe malas, ſed quod ſuis inſtitutis non conveniant. Hæc & alia his conſentanea qui accurate conſideraverit, is, niſi fallor, ab amore virtutis & honeſtatis non multum erit ſejunctus. Quorum vero animos deliciæ, languor, publicus error, & prava aut vana ſectandi conſuetudo ita infecerunt, ut morum ac temporum vitio malint in perpetuo ſeculi errore verſari, quàm perſpectâ veritate rebus fortuitis & caſui obnoxiis ea præferre, quæ neque fortunæ temeritas, neque aliorum injuria eripere poteſt,

Quid

Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant;
Et cum falsa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoscant bona.

Reliquum est, ut de exercitio virtutis & honestarum actionum dicamus; hoc enim nisi accedit, supervacaneum est omne discendi studium. Unumquemque videmus expeditius id agere, in quo se diu exercuit: multa fiunt artis beneficio, quæ fieri posse negaremus, nisi exstarent artificia; ecquis vero talia perficeret, nisi manus ad illa efficienda æque esset exercitatione parata, quàm ad excogitanda ingenium usu promptum? Sic etiam diuturna laborum & molestiarum tolerantia facilia reddit, quæ initio cum magnâ difficultate erant conjuncta. Nautæ ut tempestate coortâ in navi discurrant, & in aëre etiam sua quisque obeant officia, non secus ac si in terrâ degerent, multa efficit navigatio: agrorum cultores ad operas suas indurat in orbem recurrens labor; qui sæpe in periculis est versatus, ipsa periclitandi assiduitate hoc consequitur, ut illa contemnat. Tantum roboris accedit omnibus nostris actionibus à consuetudine agendi, ut licet quispiam singula quarumvis artium teneat præcepta, ne clavum quidem cudere satis commode, aut calceum consuere possit, nisi usu edoctus. Nemo itaque mirabitur, rem non aliter se habere in virtutis & honestatis studio; quod frustra præ se ferunt, quibus persuaderi non potest, recte agendo confirmari quæ didicimus. Quin frequens

quens usus non immerito primas sibi tribui postulat, cum omnium Magistrorum præcepta superet. Etenim nemo melius cognoscit, quid virtus sit & honesta actio, nisi qui in ea exercenda semper est occupatus, quâ ratione etiam efficitur, ut magis sincerè eam diligere incipiamus. Ut à puero ad honestatem animus cujusque inclinetur, optandum potius quàm sperandum videtur, moribus ita corruptis, ut ipsi etiam parentes plerumque de nullâ re liberis suis relinquenda minus laborent; satis illis prospectum existimantes, si aliarum rerum abunde suppetat. Interea quæ prava sunt, quæ cum voluptate conjuncta libidini satisfaciunt, quæque ad utilitates quasdam per dolos & mendacia comparandas accommodata, tantum abest ut inde seriâ castigatione animos & cogitationes eorum abstrahant, ut suo etiam exemplo doceant atque ducant, ac si non satis à naturâ ad pessima quæque essent proclives. Ita trahimur in vitia & quisque sequimur priores, qui & ipsi majorum decepti errore male viam sunt ingressi. Quotusquisque filium ita potest affari?

Disce puer virtutem ex me verumque laborem.

De his igitur dicendum, qui intellectâ morum perversitate, errantium judicia procul habentes ipsam virtutem suo precio æstimare cœperunt. Certum est, recte agere neminem, nisi qui male agere destitit: illud autem fieri nequit, nisi removeantur vitia, eorumque exscindantur quantum fieri potest radices.

dices. Ideoque cupiditates & affectus omnes (præter illos, quorum nomina nil nisi vitium innuunt, hi enim plane excutiendi) ita sunt frenandi, ut à naturâ non recedant. Frustrà enim cogitatio occupatur in exquirendo officio, si appetitus rationi non obediat, & ad illud agendum impellat, quod honestati adversatur. Præstat igitur primum videre, quinam affectus in nobis imperium teneant; deinde ut illis quàm maximè resistatur, omni studio est elaborandum, neque omittendum quicquam, quod ad illos in ordinem redigendos conducere queat. Nimia cum aliis consuetudo nocet, neque nulla probari debet: Qui enim sæpissime inter homines versari velit, & ad indignationem pronior est aliquanto, non effugiet, quin eorum moribus offensus subinde irascatur aut animo perturbetur: à superbis contemni molestum est, petulantis injuriam & malignitatem ægrè ferimus, offendit contumeliâ dives, & contentioso sermone, quem tenet pertinax vincendi studium. Sed nec planè in solitudinem est secedendum; solent enim animi motus aliquamdiu subsidere quidem, sed eò periculosius postea sese exserunt, quo minus ad eos reprimendos consuetudo nos assuefecit. Si ad timiditatem quis proclivior, ita fugienda est periculorum occasio, ut nihilo secius animo paullulum confirmato ea subeat interdum, quò periclitandi consuetudine metus expellatur & fiducia ingeneretur. Egregiè præceperunt, qui jubent ut interdum simulemus ea, quæ metui solent, jam evenisse nobis; & quæ experti, in perpetuum nos iis carituros: Ita diviti pauperrimos quosque vilissimo cibo ac dura ve-

ra veste interdum imitandos, idque triduo aut quatriduo, ut experiatur potius quam ludat; atque hinc futurum, ut in ipsa securitate ad difficilia assuefactus minus timeat, quæ ferre didicerit. Qui strenui militis nomen obtinere cupit, armorum disciplinam quotidiano exercitio roborare debet; quæcumque in acie & prælio evenire solent, omnia in campestri meditatione pernoscere, in mediâ etiam pace supervacuo labore lassari, sylvam cædere, onera portare, natare in flumine, pleno gradu ambulare vel currere, etiam armatus cum sarcinis suis; ut horum usu in pace id consequatur, ut minimè sint difficilia in bello. Eodem modo gerere se convenit virtutis cultorem, humilitatem sibi fingere in honore, ignobilitatem in dignitate, & adversa quæque in ipsa rerum secundarum abundantia. Quemcumque induat fortuna vultum, ille non metuet aliquando facere, quod bene se didicisse confidere potest. Præterea & hoc intelliget, quanta sit vanitas eorum, qui indignis modis fortunæ fiunt supplices; cum quæ ad saturitatem sufficiunt, ne irata quidem negare audeat, & quæ sunt superflua, sine salutis jacturâ illis carere queamus; nihil autem si velimus boni esse, ut mali simus cogere nos possit; ideoque sine caussa tantopere pleraque appeti aut metui. Qui vero cupiditatem & metum ita coërcere didicit, ut quæ, quo minus semper avertere aut consequi possit, alius impedire valet, ea non multum aversetur aut appetat, is quantum effecerit, vix dicere licet: cavendum tamen quotquot hanc proficiendi viam ingressi sumus, ne cui dicamus, ita nos facere, ne quidem amicissimis, nisi quorum

egre-

egregriæ voluntati sola obstat imperitia. Etenim ridentur plerumque etiam à non malis illa remedia, quæ licet levia appareant, tamen nisi adhibeantur, frustrà sumus: Nos autem intereà perdimus auctoritatem, quam conservare poteramus, & nihilo magis, ut alter ille emendetur, efficimus. Quod si tamen cuiquam commodare lubet, exemplo uti debemus virorum gravium, qui virtutis opinionem dudum sunt consecuti, eosque dictitare ita vel aliter fecisse, hoc vel illud suasisse aut dissuasisse; hâc enim ratione & nobis consulere poterimus & illi de cujus vitâ & moribus sumus soliciti. Quid enim prodest nobis detrahere, cum alteri, quicquid detrahimus, adjicere nequeamus? Sæpe ita fieri necesse est, ut non tantum videatur, vera sint quæ dicimus nec ne, sed etiam quibus dicimus, an illi veritatem pati possint. Ab animi affectibus ad vitia & virtutes erit transeundum; etsi vero separata est harum consideratio ab illis, quia tamen vitia dediscendo virtutem discimus, non immeritò conjunctim, quantum quidem ad nostrum institutum attinet, de illis agetur, servatâ populari ratione, quâ hactenus usi sumus. Id omninò opera danda, ut acrem quisque vitiorum & bonorum suorum judicem se præbeat, nihil apud se dissimulet, neque temporum consuetudinem prætendat, id quod fieri solet, quando nobis boni videmur, si contendamur cum pessimis, & ad ea oculos deflectimus, quæ ab aliis peraguntur, aut ætati & loco culpam tribuimus. Ita nemo suo judicio avarus est, cum videt plurimos rapinis & maleficiis rem augere; nemo ambitiosus, cum & alii suffragia quæ-

rant; nemo lascivus & impudicus, cum adolescentiæ, si quod est, crimen hoc videatur: nemo sumtuosus, cum res urbanæ magnas impensas requirant, nec aliter ut vivatur, Roma permittat. Extra nos quærimus malum nostrum, quod in ipsis visceribus obhæret, tantùm oportet inquirere, nec ita faciles esse ad ignoscendum morbo nostro. Quantò rectius fecerit, qui semper sibi à se metuens diligentissimè omnia scrutatur severitate quâdam animadvertendi, ut vitio, dum recens est, occurrat; siquidem difficilius eruantur, quæ longo tempore radices egerint. Vnde apparet eorum perversitas, qui nescio qua vitiorum voluptate fascinati, emendandi studium in aliam ætatem prorogant. Deinde qui vitia sua aliquantum minuere cœpit, omninò cavere debet, ne turbæ facilè se committat: videtur enim medius esse quodammodo inter ægrotum & valentem, ita ut neque paratus esse queat tanquam in bello, neque securus tanquam in pace. Placere jam incipit cœna frugalis & ad necessitatem parata; fortè ab alio invitatus movetur ferculorum multitudine, ciborum varietate, & ministrantium turba. Placet modica supellex, quam nil præter mundiciem & usum commendat; ubi ad alios accedit, oculos præstringit alienus splendor, neque parum animus concutitur. Parvo lubet esse contentum; divitum consuetudo cupiditates irritat: in verbis modestus & in sermone castus est; facile aliquid affricat lascivorum conversatio. Ita vel nescientibus nobis aliquid commendatur & subrepit, domumq; redimus pejores, animi habitu nonnihil immutato. Quod si autem propter negotia cum aliis quoti-

quotidie esse cogimur, non parum conducit eligere virum gravem & probitate conspicuum, qui contra populi mores semper aliquid præcipiat, eique reclamet falsa laudanti aut vana metuenti. Hic sit quasi custos bonæ mentis, qui audaciam reprimat & ignaviam suscitet: qui vetet illis invidere, quos fasces & purpura illustrant; illis irasci qui injuriâ nos afficiunt; illam putare felicitatem, quæ ex alterius calamitate exstitit; ingentia patrimonia admirari, cum divitiæ usu sint metiendæ; foris explicare vitia, quæ domi oderimus: quique jubeat vulgi judicia contemnere, rectæ rationis sequi judicium, quæ perpetua sunt caducis præferre, omnem occultandi spem removere, tanquam nihil, non Deum modo, sed ne homines quidem celare possimus, eamque ob caussam conscientiæ potius studere quam famæ, & nihil agere, quod à quoquam nesciri velimus. Ejusmodi amicum qui nactus est, externorum bonorum optimum videtur consecutus: cujus si copia esse nequeat, fingendus est aliquis, quo tanquam spectante omnia faciamus, quique talia dicta assiduè auribus nostris ingerat. Præstat etiam accurate dispicere, cui vitio potissimum simus obnoxii, ut in illo exstirpando præ cæteris elaboremus; sed interim nec reliqua sunt negligenda, quantumvis levia putentur. Sicuti vero, ut paullo ante diximus, malorum conversatio plerumque nos reddit pejores, ita etiam dubitari non debet, si cum bonis viris assiduè vivamus, meliores nos futuros. Opera igitur danda, ut ad horum amicitiam & consuetudinem nos applicemus: frequenter illi sunt audiendi, frequenter adspiciendi; gestus

etiam & vultum oportet attendere; neque ullum transmittere verbulum, quod non solertiâ quâdam rimemur. Ioco etiam multa dici existimandum est, quæ nobis sunt utilia; solent enim viri graves inter jocandum nonnunquam proferre, quæ à nobis ignorari nolunt, idque cum vel pudori nostro volunt consulere, vel minus tutum est serio quicquam dixisse videri. Ita vero oculos & animos nostros ad eorum actiones adhibere debemus, ut quemadmodum pictor subinde respicit ad imaginem, quam vult exprimere; sic etiam assidue illos intuentes id agamus, ut illorum imago in vita nostra appareat. Non quidem deprehendimus, quando & quemadmodum nobis conducat ejusmodi contubernium, sed tandem nos multùm profecisse animadvertimus. Quia etiam virtus in mediocritate consistit tam affectuum quam actionum nostrarum, in quibus ita medium tenendum, ut nihil excedat, nihil deficiat; illud vero invenire admodum difficile est: ab eo longius recedere decet, quod virtuti magis adversatur. Qui nimio pecuniæ studio ducitur, in contrariam partem ire debet, & frequenti largitione coercere cupiditates, donec ad parsimoniam cum liberalitate conjunctam perveniat. Sæpè etiam honesta voluptas aspernanda est, ut libido frena pati discat; satius enim est vel nullâ frui, ut illud obtineatur, ne ad turpitudinem usque ei indulgere sit necesse. Qui fastu turget, longè infrà sortem humilis esse studeat, donec accedat ad modestiam: qui linguæ moderari nequit, longum sibi indicat silentium, illatis raro sermonibus, ut loquendi tempus & rationem servare discat. Ita ubique

si qua

si qua occurrit medium inveniendi difficultas, in eam partem inclinandum, unde facilior est ad virtutē reditus. Ac ne illud quidem alienū est à recte agendi studio, characteres habere seu notas quasdā virtutum & vitiorum: sæpe enim latent nos vitia nostra, nisi inde prodantur; & ipsa virtus interdum possessori suo non animadvertitur, nisi ex certis quibusdam notis eam cognoscat. Hoc modo justos nos esse intelligimus, si cuique tribuamus quod suum est, cum nemine conscio retinere possimus; parum curantes etiamsi nulli hoc innotescat. Ita vanæ gloriæ contemtum in nobis deprehendimus, si æquo animo patimur virtutum nostrarum magnitudinem ignorari ab omnibus, parva autem delicta neminem latere. In hoc Characteristico genere nescio qui factum, ut unicus tantum libellus nobis exstet. Optandum sane esset, ut virtute quispiam & ætate gravis ea quæ hujus generis apud alios dispersa leguntur, collecta in suos quæque ordines redigeret, quæque ipsemet in vitâ edoctus, ea adderet. Opportune forsan generatim & universè hic commemorare licet optima quædam indicia, unde nobis ipsis constare potest, profecisse nos aliquantum in virtutis studio. Talia sunt: si de rebus optimis & ad vitæ honestatem pertinentibus frequentes cogitationes animum subeant, & res vulgò preciosæ in insomniis quoque parum delectent: Si inter legendum illis potissimum nos capi sentiamus, quæ ad emendandos mores faciunt, ut præcipua cura sit, prudentiam inde eruere, quæ in rebus agendis adhibeatur, & hanc consecuti parum pensi habeamus ignorare, quamdiu vixerint Patroclus & Achilles, aut ubi

Vlyſſes erraverit. Si illi ſermones quàm maximè nos delectent, qui ſunt de virtute & honeſtate, & modeſte nos geramus ubi cum contentioſo eſt negotium, ei cedentes, etiamſi noſtra ſententia ad veritatem propius accedat. Si æquo animo ſimus erga amicos, qui nobis ad optima quæque contendentibus ita adverſantur, ut quemadmodum fieri ſolet, æquales prædicent dignitate & opibus florere, nos vero riſu & jocis excipiant, quòd agamus tàm ſtultè, ut rebus maximis carere velimus. Si non tàm facile animo perturbemur quàm antea, & perturbatio quæque ſi oriatur celerius ceſſet. Si commiſsâ culpâ non ægre feramus reprehendentem; laudes vero, quoties ab aliis tribuuntur, rejiciamus modeſtè, illud ſignificantes, multò plura eſſe, quæ nobis ipſis diſpliceant. Si recte egiſſe apud nos gaudeamus, nec deſideremus magnopere virtutis noſtræ ſpectatorem, niſi cum & alios noſtro exemplo excitare vel admonere cupiamus. Si præclara facta non admiremur tanquam otioſi ſpectatores, ſed ad nos quoque inde aliquid pertinere putemus. alterius fides, juſtitia, & abſtinentia non ideo nobis placeat, quod minus doli & inſidiarum ab eo nobis ſit metuendum, vel ſimplicitas ejus tanto latiùs pateat in fraudes, cum non facile alios ſuſpicetur improbos, cujus animus ab improbitate vacuus; ſed quia unaquæque virtus per ſe laude digna. Si bonos quoſcumque amemus, nihil commoti eorum inopia aut calamitate, quâ premuntur. Si deliquiſſe nos magis doleamus, quàm propter infamiam inde natam; nullum peccatum exiguum putemus, hunc in modum cogitantes: nunc

ita

ita faciamus, aliàs melius. Si quando viro cuipiam illustri subitò nobis intervenienti obviam eundum, constanti animo id faciamus & erecto vultu, utpote quorum conscientia ita est confirmata, ut nullius auctoritate moveamur. Denique si modestiæ & virtutis laudem non vestitus quâdam humilitate affectemus, intus vitia occultantes, sed boni malimus esse, quàm videri. Plura quidem afferri possent, sed hæc sufficiunt sine dubio, cum etiam apud alios reperiantur, qui deditâ operâ de illis tractarunt. Intelligendum est etiam, maximè necessariam esse quotidianam sui excussionem, ut ipsimet in nos inquiramus singulis diebus, numquid à nobis intermissum, quod fieri debuerat, aut factum quod intermitti satius fuisset. Animus igitur in judicium quasi vocandus est, & actionum exigenda ratio, ita ut ex nobis ipsis quæramus, cui vitio hodie obstiterimus, & quâ parte facti simus meliores. Desinemus paullatim malè agere, si quotidie scimus, ad judicem esse veniendum; ut rectè agamus summa erit cura, si doloris pœnam ante noctem imponat conscientia, ubi officium interdiu fuit neglectum. Agrorum naturam diligenter scrutamur, ut quicquid fertilitatem adjuvet, non omittatur, quicquid impediat, removeatur; & nos ipsos parum observemus? Neque tantum ad unius diei, sed totius vitæ acta respiciendum est, cum optima sint consilia, quæ præteritorum suggerat memoria. Narrat de seipso Seneca, quotidie apud se caussam dixisse, sublato è conspectu lumine & conticescente uxore moris jam consciâ; totum diem scrutari, facta ac dicta sua remetiri solitum, nihil sibi abscondisse,

disse, nihil transiisse. Sanctissimum sanè judicium, in quo perfidia & gratia nullum habent locum; in quo actor illius quærit salutem, quem reum peragit; testis ei vult prodesse adversus quem testimonium dicit; reus ita veniam petit, ut actori gratias agat; judex ita ignoscit, ut nihilo secius animadvertat. Quisquis hoc egerit, fieri non potest, quin quotidie errores suos objurgando vitiis aliquid demat & virtuti adiiciat; ac proinde seipso indies fiat melior. Sed quod præcipuum est, preces nostras ad Deum omittere minime fas est: hujus enim nisi adjutus benignitate, non est quod quis existimet bonam mentem & rectè agendi facultatem se consequi posse; quod neque animus noster ab errore ultro liberari, neque voluntas contra fortunam ad honesta erigi possit. Sed cavendum omninò, ne à summis labris vota prodeant, & quæ palam petimus, nolle nos impetrare, vita & actiones nostræ declarent. Quo nihil magis impium esse potest, cum reverâ nihil sit aliud, quàm verbis illum ludere velle, quem ne cogitationes quidem celare possumus. Hic interpellans Anchistius, quæ hactenus, inquit, à te sunt disputata, Nenisite, eò fere spectant, ut multorum animi à rebus gerendis abducantur, & nescio in quas solitudines relegentur. Non ita est, inquit Nenisitus: etenim nemini magis indignor, quam qui virtutis studio solitariam vitam amplectendam esse rati, ab aliorum commercio se planè segregant. Certe virtutis non ea est natura, ut unumquemque sibi tantum & suis commodis vacare velit; versatur enim in actione; illa autem, si extra hominum societatem vivere

juvat,

juvat, vel nulla est omnino, vel admodum rara. Vnde non satis eos mirari possum, qui res magnas geri & Virtutis simul rationem haberi posse dubitant. Vbi quæso illustrior justitia, quam in eo, qui impunè quemvis potest injuriâ afficere? ubi illustrior castitas, quàm apud quos libido vitium esse desiit, quia in mores abiit? ubi illustrior sobrietas, quàm apud quos egregiè potare pro fortitudine habetur? Vbi abstinentia illustrior, quàm in illo Magistratu, qui quæ honesta sunt, gratis facere non recusat; quæ contraria, nullo auri atque argenti pondere, ut facere velit, moveri potest? Sed ita vivere non licet, qui Remp. regunt, aut consilio juvant, aut quâcumque ratione rebus gerendis præsunt; quandoquidem multis ad hoc opus est, quæ vix parari possunt, nisi interdum virtus & honestas è conspectu submoveantur. Fateor res non admodum difficiles, quod historiæ testari possunt, peccandi consuetudinem reddidisse difficillimas: sed illud à ratione prorsus est alienum, si ea quæ facere nolumus, propterea fieri posse negamus; quo quia his temporibus nihil est usitatius, & nihilo secius optimarum rerum studiis nobis videmur esse dediti, non est mirandum pro bonis haberi, qui pessimis tantùm sunt meliores. Vtinam depulsis tenebris ita illustrarentur mentes nostræ, ut ad eorum exempla respiceremus, qui honestatis & innocentiæ imaginem nobis reliquerunt, longe beatiores haberemus Respub. Tantum enim abest ut qui in illis vivunt, eos virtus à se excludere videri debeat, ut etiam maximas utilitates præstare possit,

Cui pudor, & justitiæ soror
Incorrupta fides, nudaque veritas.

Si qui tamen propter ingenium aut mores parum aptos à publicis rebus sese abstinent, non quod virum bonum ad imperia accedere nefas existiment, sed quia sibi non conveniat ejusmodi vita, illi reprehendi non debent; modo quacumque ratione possunt, ad communem utilitatem aliquid afferant. Quod sicuti multis modis fieri potest, ita neminem impedit quicquam, quò minus publicè prodesse queat. Si hæc tua est sententia, inquit Tagarennus, neque ego dissentio, neque hunc Anchistium dissentire puto. Sed vellem & hoc adjecisses, multa esse officia, in quibus virtus per se quidem locum habeat, sed, ut his temporibus, geri non posse, quin vitiis locus relinquatur; quædam vero talia esse, ut ipsum nomen aliquid innuat, quod personam nostram dedecet: quæ licet in juventâ & virili ætate spernimus, in ipsa senectute interdum nobis imponi patimur. Quamobrem Senex Mimographus cum à Cæsare invitatus in scenam prodiret, quod antea nemo ab ipso impetraverat, de seipso ita querebatur:

Ego bis tricenis annis actis sine notâ,
Eques Romanus ex lare egressus meo
Domum revertar Mimus: nimirum hoc die
Vno plus vixi, mihi quàm vivẽdum fuit.

Tu Nenisite de his plura, si videbitur. Ego vero, inquit

quit Nenisitus, seriò optarem, ut istam orationis partem absolveres; quæ enim hic dici deberent, multis & in his etiam gravibus viris non plane probantur. Hoc tamen dissimulare non possum, quodcumque munus ita comparatum, ut certè sciamus, dum in eo sumus occupati, delinquendum esse, illud meo quidem judicio suscipi non debere. Sed de his pluribus disserere non est nostri instituti, & facilis est reliqua doctrina illis, qui nihil se esse malunt quàm bonos viros, & singulari studio ducuntur cognoscendæ percipiendæque virtutis: à quâ tam longe nos recedere nihil est mirum his temporibus, quæ nec vitia sua ferre possunt, nec remedia pati volunt. Vocabulis enim Sapientiæ potius immoramur, quàm operibus, & rebus cognoscendis maximam impendimus curam, gloriæ quadam cupiditate incensi aut inutili voluptate; ita ut denuo Socrate quodam sit opus, qui studia à rebus occultis, in quibus plerique operam collocant, ad vitam communem revocet, ostendatque, multa, quorum studium arripimus, vel procul esse à nostrâ cognitione, vel si maximè cognosci possint, nihil tamen ad bene vivendum conferre. In voculâ quadam scribendâ vel pronunciandâ sicubi erratum est, magnum crimen putatur; toties autem in vitâ peccare neminem pudet. De corporis habitu & vestitu ita sumus soliciti, ut si plica extra ordinem jaceat, admoneri rogemus; at quotusquisque amicum convenit, ut exquirat, num virtuti aut vitiis quid accesserit vel decesserit? Itaque postquam ad res levissimas cura nostra transiit, necessariis adhiberi desiit. Si quos legimus aut cognoscimus divitias

contemsisse, publica sanctè administrasse, immeritam infamiam animose tulisse, injuriam vicisse beneficiis, conscientiæ majorem habuisse rationem, quàm famæ; hos otiose admiramur, dedecus putantes eorum imitari exempla. Contrà in eo evigilant curæ & cogitationes nostræ, ut nulla divitias, voluptates, potentiam & honores consequendi prætermittatur occasio; quorum omnium desiderio ita flagramus, ut quo jure quave injuriâ comparentur, nihil interesse arbitremur. Sed nolo his querelis aures vestras obtundere. Illud nemo satis mirari potest, nos, qui Christiani appellamur, adeo immemores esse decretorum, quibus tot ac tantis miraculis fidem fecit Servator noster. Quod nefas tantò majus est, quò minus ille quicquam omisit, ut nos servaret; sane non ita oportebat abuti nominis gloriâ, cui ne in speciem quidē facta respondent. Neq; vero est quod ipsi nos decipiamus falsis persuasionibus, ac si vita & actiones nostræ à cultu divino sint exclusæ. Longè aliâ ad coelum pervenitur viâ, ideoque dolendum, sicuti in multis aliis compendia quæsita non sine damno optimarum rerum, ita & hujus itineris compendium quæri coeptum in ejusmodi fide, quæ in labiis nascitur. Hæc enim qualis esse potest in illis, qui reipsâ declarant, se parum credere Deum nostrum sponte delinquentibus æternas poenas & rectè agentibus æterna præmia constituisse? Profecto nisi nos fallant divina dogmata, (quod vel cogitatu impium) si ista pars cultus divini, quæ in rectitudine actionum & morum probitate consistit, à fide nostrâ abest, quâ Servatori nostro volumus esse conjuncti,

juncti, nil ea nisi mera perfidia videtur. Cum hæc dixisset Nenisitus, intervenit puer, & de morâ objurgat Anchistium & Nenisitum, quam producebant: erat enim uterque à communi amico ad cœnam invitatus. Tagarennus igitur solus relinquitur, sed ab utroque rogatus, ut quæ sub initium sermonis penè promiserat, de iis præstandis quamprimùm cogitaret.

FINIS.





